



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

Qvæstio IV. Vtrum dependentia causet analogiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)


exprimuntur, non sunt ratio superior analogæ; sed analogata physice, sed ut sic non possunt dare diversitatem rationi superiori nec inæqualitatem, & sic ratio superior nihil accipit ab inferioribus tollens univocationem, alias nihil erit univocum: ergo.

### SECTIO VLTIMA.

*Argumenta adversaria solvuntur.*

119 **A**D argumenta, ad primum conceditur maior & negatur minor, ad probationem negatur maior propositio, & etiam licet esset eadem cum non significaretur per idem nomen non esset analogæ.

Ad secundum concedo maiorem & minorem, & nego consequentiam, quia licet ens identificetur cum differentiis a parte rei formalissime, nihilominus per intellectum distinguitur inadæquate à differentiis tanquam ratio superior ab inferioribus, ac proinde nullam diversitatem accipit ab illis, ut patet ex late dictis in probatione nostræ conclusionis: ad confirmationem negatur antecedens, quia etiam licet esset transcendens animal esset univocum & non analogum.



### QVÆSTIO IV.

*Utrum dependentia causet analogiam.*

### SECTIO I.

*Adversaria sententia proponitur.*

1 **P**RIMA sententia asserit dependentiam unius inferioris entis ab alio causare analogiam in ratione superiori entis, sic Gaetanus opusculo de ente & de essentia. Pater Suarez in metaphysica, tom. 2. disp. 28. sect. 3. Pater Vasquez 1. part. & multi alij.

2 Probatur primo, quia dependentia unius ab alio constituit inæqualitatem in ratione communi abstracta, in qua inferiora conveniunt, sed inæqualitas in ratione communi est analogia: ergo dependentia unius ab alio causat analogiam. Maior sic probatur, ratio communis respicit inferiora, quia est per ordinem ad illa, sed illa respicit ut sunt in se ipsis: ergo ea respicit cum eadem dependentia quam inferiora habent inter se ipsa: sed ea quæ dependent habent inæqualitatem in ea ratione qua datur dependentia: ergo.

3 Secundo probatur ratione divi Thomæ, qua probat inter Deum & creaturam dari analogiam, quando effectus non adæquat virtutem causæ, nomen utrique commune non dicitur univocè, sed analogicè de illis: atqui creaturæ sunt effectus Dei & non adæquat virtutem eius: ergo nomen ens commune Deo & creaturis non dicitur univocè de illis, sed analogicè: probatur maior, quando effectus non adæquat virtutem causæ non recipit similitudinem eius secundum eandem omnino rationem: ergo nec potest habere nomen commune secundum eandem rationem: ergo est nomen analogum. Patet vltima consequentia,

illud est nomen analogum quod non est commune pluribus secundum eandem rationem, sed nomen ens non est commune Deo & creaturis secundum eandem rationem: ergo est analogum.

Et si dicas, quod effectus, qui non adæquat virtutem causæ id habet non secundum rationem communem in qua conveniunt effectus, & causæ, sed secundum rationem principalem & propriam effectus, quod non tollit univocationem, ut patet in omni causæ æquivocæ, quæ potest univocè convenire cum suis effectibus in aliqua ratione communi, quia illa inadæquatio tantum est secundum rationes specificas causæ & effectus, v. g. sol est causæ æquivocæ ignis, auri, & aliorum corporum inferiorum, sed sol, aurum, & ignis conveniunt univocè in ratione substantiæ corporis, &c. ergo bene potest causæ æquivocæ convenire univocè cum suo effectui.

Sed contra, quia quando effectus procedit à causæ non solum secundum rationem principalem, sed etiam secundum rationem communem significatam per nomen commune causæ, & effectui, & in illa non adæquat causam, habent dissimilitudinem non solum in ratione principali, sed etiam in ratione communi: sed creatura procedit à Deo non solum secundum rationem principalem, sed etiam secundum rationem communem entis existentis in creatura, & in illa non adæquat perfectionem Dei: ergo creatura non solum habet dissimilitudinem cum Deo secundum rationem principalem creaturæ, sed etiam secundum rationem communem entis. Maior est certa & probatur ex discrimine quod datur inter Deum & alias causas æquivocas, quia illæ causæ tantum causant per se rationes principales effectuum & non rationem communem, illa enim supponitur ad ipsos effectus, & sic tantum causatur per accidens, quia ut asserit Aristoteles, effectus non causatur per se secundum illam rationem quæ supponitur ex parte subiecti: sed secundum illam quæ non supponitur, v. g. quando ex aère fit ignis non producit per se ratio elementi, quia illa supponebatur ex parte subiecti, sed tantum producit per se ratio talis elementi, quæ non supponebatur ex parte subiecti, sed omne ens creatum producit suum effectum ex præsupposito subiecto in quo præcedit ratio entis, substantiæ, &c. ergo ratio entis & substantiæ non producit per se à causæ creatæ æquivocæ. Tunc sic, Deus à contrario sensu producit per se in creatura non solum rationem entis particularis secundum rationem particularem, sed etiam rationem entis communis in quantum ens est, & quia non præsupponitur ex parte subiecti cum Deus producat ex nihilo, & in illa ratione creatura non adæquat Deum: ergo creatura non solum est dissimilis Deo secundum rationem particularem, sed etiam secundum rationem communem entis, & in quantum ens est. Probatur antecedens, & est etiam minor præcipua ens existens in creatura, est ens dependens: ergo producit à Deo. Patet consequentia, omne illud quod est dependens reale producit à Deo: sed ens existens in creatura est reale dependens: ergo producit à Deo.

Et si neges quod ens existens in creatura dependet, contra est: ergo ens existens in creatura non dependet: ergo est à se & per consequens Deus. Patet consequentia, illud quod est ens & non dependet, est à se; ideo Deus est à se quia est ens non dependens.



# Quaest. III. Vtrum Transcendentia, &c. 115

dependens, sed ens existens in creatura est ens non dependens: ergo est à se: ergo est Deus; sed hoc est hereticum: ergo ens existens in creatura est dependens: ergo est effectus Dei, sed in illa ratione non adæquat Deum: ergo in illa ratione est dissimile Deo: ergo nomen commune utrique est analogum.

7 Tercio & est etiā ratio Divi Thomæ: in Deo ratio entis essentialiter includit omnem perfectionem realem: sed in creatura non includit illam: ergo Deus est inæqualis creaturis in ratione entis. Probatur maior, ratio entis quæ est in Deo est à se & independens: sed omne illud quod est à se & independens includit omnem perfectionem realem: ergo ratio entis in Deo includit essentialiter omnem perfectionem realem: ergo Deus in ratione entis est inæqualis creaturæ, sed hanc inæqualitatem habet Deus respectu creaturæ ratione dependentiæ in creatura & independentiæ in Deo: ergo ratio dependentiæ causat inæqualitatem in creatura respectu Dei: ergo causat analogiam.

Confirmatur, ens creatum comparatum cum Deo non est simpliciter ens: ergo est inæquale Deo. Probatur antecedens, inter Deum & ens creatum datur distantia infinita, sed illud extremum quod distat ab alio infinite comparatione illius à quo distat, non est simpliciter tale, ergo creatura comparatione Dei non est simpliciter ens.

8 Quarto enti respectu Dei & creaturæ convenit definitio analogi, sed hæc convenit rationi dependentiæ: ergo dependentia causat analogiam. Probatur maior, analogia sunt, quorum nomen &c. sed Deus & creaturæ habent commune nomen ens & rationem entis partim eandem & partim diversam: ergo &c. Probatur minor quantum ad secundam partem, ratio entis descendit prius ad Deum quam ad creaturam, quia ad creaturam descendit per dependentiam à Deo: ergo est diversa ratio entis in Deo & in creatura. Probatur consequentia, & diversitas consistit in inæqualitate: sed ex eo quod ratio entis prius descendat ad Deum, quam ad creaturam est inæqualis: ergo ratio entis est inæqualis in Deo & in creatura.

9 Confirmatur, ea quæ dicunt attributionem unius ad aliud vel multorum ad unum penes formam aliquam significatam per unum nomen & intrinsecam in omnibus, habent nomen commune, & deinde rationem significatam per illud partim eandem & partim diversam, sed hoc habent ratione dependentiæ: ergo &c. probatur maior, quæ dicunt attributionem modo dicto habent illam rationem cum essentiali ordine ad inæqualem participationem, ratione dependentiæ: sed ratio quæ ita participatur est partim eadem, & partim diversa: ergo &c.

10 Quinto si ratio entis non esset analogia ad Deum & ad creaturas, ad substantiam & accidens esset univoca: sed implicat quod sit univoca ad Deum & creaturas: ergo est analogia. Probatur minor, si ratio entis esset univoca ad Deum, & ad creaturas, ad substantiam & accidens respectu omnium prædicamentorum, posset dari ratio aliqua generica, sed hoc est absurdum, quia prædicamenta non essent primo diversa, nec essent plura prædicamenta, sed unum: ergo ratio entis non est univoca (& loquor de ente completo vel non transcendenti) probatur maior, omnis ratio univoca & non transcendens, quæ prædicatur in quid de pluribus essentialiter distinctis, est ratio generica respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis. Maior est evidens, quia illi rationi convenit definitio generis scilicet quod prædicatur in eo quod quid incomplete, quia ut explicuimus in *Logica, disputat. 4. quæst. 1.* illud prædicatur in eo quod quid incomplete quod essentialiter prædicatur de pluribus essentialiter distinctis, sed si ratio entis esset univoca ita prædicaretur: ergo illi conveniret definitio generis.

Et si dicas quod illæ rationes inferiores respectu entis sunt differentiæ materiales, quæ non sufficiunt ad constituendam rationem superiorem genericam, & contra est, illæ rationes sunt differentiæ formales: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens, differentiæ formales sunt illæ, quæ per se ipsas immediate & non ratione subiecti vel quasi subiecti contrahunt rationem aliquam superiorem, sed differentiæ substantiæ & accidentis per se ipsas immediate & non ratione subiecti vel quasi subiecti contrahunt rationem superiorem entis: ergo sunt differentiæ formales. Maior est evidens ex ipsis terminis, nam ideo differentiæ rationalis & irrationalis sunt differentiæ formales respectu animalis, quia per se ipsas immediate contrahunt rationem superiorem animalis, & ideo albedo & nigredo sunt differentiæ materiales respectu animalis, quia contrahunt illud, non per se ipsas immediate, sed ratione subiectorum scilicet hominis & equi, in quibus datur albedo & nigredo: ergo differentiæ materiales sunt illæ, quæ non contrahunt rationem superiorem per se ipsas immediate: sed rationes subiectorum vel quasi subiectorum & differentiæ formales quæ à contrario sensu per se ipsas immediate contrahunt rationem superiorem, sed perfectas & inalienabiles per se ipsas immediate contrahunt rationem superiorem entis completi: ergo sunt differentiæ formales: ergo ens completum ad substantiam & accidens esset genus: patet consequentia, genus est ratio superior univoca non transcendens contracta per differentiæ formales, quæ prædicatur in quid incomplete: sed ita se habet ens completum respectu substantiæ & accidentis: ergo est genus: sed hoc implicat: ergo dicendum est quod ens non est univocum, sed analogum. Tunc sic, talis analogia in ente non potest causari ratione transcendentia, ut probavimus *quæstione superiori*: ergo causatur ratione dependentiæ, quia non est alia radix propria analogiæ.

Ultimo, si dependentia non causaret analogiam nulla daretur propria analogia: sed hoc est absurdum contra omnes metaphysicos, qui dividunt analogiam in impropiam & propriam, ergo dependentia causat analogiam.

## SECTIO II.

*Aliqua notantur.*

Advertendum est hoc nomen, Analogia, 13 (quod græcum est teste Marco Tullio & Macrobio) significare idem quod latine nomen, proportio, seu ut author est Gellius in *noctibus atticis* quod hoc nomen similitudo aut comparatio, unde *analogon* idem est atque proportionabile scilicet comparabile, & quia hoc nomen analogia æquivocum est, prius est dividendum quam definiendum, iuxta regulam quam tradidit Aristoteles in

P 2 *Dialecticæ*



*dialectica*, quare primo dividitur à Doctoribus analogia in analogiam attributionis & proportionalitatis.

- 14 Analogia attributionis bifariam definitur, primo sic: analoga attributionis sunt, quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ est eadem secundum terminum, diversa vero secundum habitudines ad illum: colligitur hæc definitio ex Arist. 4. *metaphysic. tex. 2. & lib. 1. Ethicorum, cap. 6.* quam amplectitur & tradit Divus Thomas *super eosdem libros, & quest. 7. de potentia, & 4. contra Gemes.*

Explicatur definitio, analoga omnia habent idem nomen, quia eadem denominatione significantur, in quo conveniunt cum univocis & equivocis; illa vero particula, ratio vero substantiæ &c. usque ad illam secundum terminum, significat & denotat omnia analogata, unam eandemque formam inventam in primo analogato respicere, ratione cuius omnia analogata talia nominantur, ut videre est in sano, etenim quæcumque sana denominantur ab una sanitate quam respiciunt, & propter quam fortiuntur illam appellationem: quia vero illam sanitatem diversis modis respiciunt sana, additur in definitione analogorum, illa respicere sanitatem per diversas habitudines, nam animal sanitatem respicit ut subiectum, pulsus indicat eam ut signum, medicamentum producit ipsam ut causa: quia vero nomen connotativum primo & per se denotat subiectum formæ quam significat, ideo primum analogatum sanitatis est animal, in quo reperitur proportio quatuor humorum, quæ salus nuncupatur: cætera vero secundaria vocantur sana, quia sine ordine & habitudine ad animal non possunt talia appellari.

- 15 Secundo communiter definitur analogia in hunc modum: analoga sunt quæ nomine communi significantur propter attributionem quam habent ad unum quiddam: hæc analogia vulgo dividitur in analogiam eorum, quæ habent per se formam intrinsecam, participando unam rationem communem intrinsecam in omnibus analogatis cum dependentia tamen unius ab alio, exemplum huius est analogia quæ reperitur in ente respectu accidentis & substantiæ, sed huius nunquam meminit Aristoteles, quia eiusmodi analogia nullibi agnoscitur ab ipso ut videre est lib. 4. *metaphysicæ, cap. 12. & lib. 7. tex. 14. & 15. & lib. 5. tex. 11. & lib. 12. tex. 15. & 22. & 25. & lib. 5. post tex. 23. & 24. & lib. 1. tex. 6.* ac tandem *quartophsicorum*, ubi agens de analogis nullam mentionem facit de hoc genere analogiæ; semper enim ubi de analogia tractat, explicat illam exemplo sani & hominis picti respectu veri, &c. unde hoc membrum non peripateticum, sed vulgare est.

- 16 Alia analogia est cuius analogata ita se habent, ut unum eorum contineat veram, propriam, & intrinsecam rationem, reliqua autem vel solum extrinsecam ut sana, vel solum adumbratam & metaphoricam, ut homo pictus & risus prati: iterum dividitur hæc analogia attributionis, in analogiam veram & propriam, & in analogiam per metaphoram: analogia vera datur quando ratio significata per nomen sine aliqua metaphora convenit analogatis, sive extrinsece, sive per similitudinem, pulsus enim sanus vocatur non per tropum & figuram, sed vere & proprie, extrinsece tamen & homo pictus non dicitur talis per metaphoram, sed solum per similitudinem & representationem pictam. Analogia impropria & per meta-

phoram est quando uni convenit ratio significata per nomen proprie, alteri vero improprie, ut videre est in analogo, risus ad risum, hominis & prati, in homine enim est proprie, in prato vero per translationem dum herbarum virore & florum amentitate vultus hilaritatem æmulat. Hanc analogiam extrinsecam vocavit Tholetus analogiam à similitudine, quia analogata minus principalia per similitudinem in aliqua ratione cum analogato magis principali talia dicuntur, sed hæc similitudo potest esse vel à forma vel ab actione, à forma sumitur analogia inter hominem vivum & pictum, quia homo pictus nihil aliud est quam adumbratio formæ exterioris hominis veri; ab actione autem sumitur quando propter aliquam operationem in qua assimilantur, nomine alterius analogati omnia appellantur, ut ab actionibus liberalibus Alexandros Magnus vocamus quoscumque homines, & à crudelibus Neronnes, & à fortibus Cides.

Analogia proportionalitatis, ut bene advertit P. Suarez sumitur proportionem plurium rerum in ordine ad aliquos terminos, & consistit in hoc quod principale analogatum denominatur tale à sua forma absolute considerata, aliud vero licet à sua forma similem denominationem recipiat, non tamen absolute concepta, sed quia in ordine ad illam servat quandam proportionem cum habitudine primi analogati ad suam formam, ut vltima pars hominis, qua graditur ipse & ambulat, vocatur pes absolute & ab illa parte dicitur homo absolute habens pedes; mons etiam dicitur habere pedem, ut quando dicimus ille est montis pes à parte propria montis non absolute, sed propter servat quandam proportionem, illa pars montis cum pede hominis quæ sic exercetur, quia sicut se habet pes animalis ad animal, ita pes montis ad montem, & quia hæc proportio est inter duas habitudines, ideo solet proportio proportionum seu proportionalitas nuncupari. Hæc nomina proportio & proportionalitas, licet apud Dialecticos confundantur, apud Arithmeticos autem à quibus sumperunt Dialectici, distinguuntur: nam proportio est habitudo unius ad aliud, qualis est inter quatuor, & octo ubi est proportio dupla; proportionalitas vero secundum usum tam mathematicorum quam perspectivorum est comparatio sive similitudo duarum proportionum inter se v. g. inter quatuor & octo reperitur proportio dupla, & eadem reperitur inter sex & duodecim: deinde inter has duas proportionem duplas reperitur alia proportio seu similitudo in eo consistens quod sicut habens quatuor ad octo componendum, sic se habent sex ad duodecim, & hæc proportio duarum proportionum vocatur proportionalitas, & ideo nomen illud quod significat illa inter quæ est, vocatur analogum proportionalitatis: hæc analogia sic definitur ab Aristotele 5. *met. tex. 12.* ea sunt unum secundum analogiam, quæcumque se habent ut aliud ad aliud, hoc est ut ibi exponit D. Thomas *lect. 8.* quæcumque in hoc conveniunt, quod hoc se habet ad illud, sicut aliud ad aliud, ut iam ex proportionibus declaratum manet. Hæc etiam analogia dividitur in propriam & impropriam, analogia impropria est ut quando magister vocatur vitis, quia discipulorum ingenia doctrina imbuunt, sicut vitis vino racemos, aliquando est propria analogia quando fit in materia univoca, & ideo solet vocari analogia univoca; quæ licet quoad



quoad nomen metaphoram redoleat, nihilominus illud propter quod talis metaphora applicatur univoce, dicitur de omnibus analogis, ut quando dicitur Christus, leo propter fortitudinem, ubi fortitudo in qua fundatur illa metaphora leonis univoce est respectu Christi & leonis; hoc genus analogiæ expressit Arist. 7. Phys. tex. 3. equivoca dividens hoc modo, equivocationum quidem alie nimium distant, alie vero propinquæ sunt & similitudinem quandam habent, ratione cuius proportionis & propinquitatis licet æquivocationes sint, non tamen videntur esse, sed putantur univoce, sic ille. Exempla primi generis sunt pure æquivoca, ut canis, populus & gallus, quibus casu est idem nomen impositum & non ratione alicuius affinitatis inter se, quapropter æquivoca à casu vocantur. Posterioris generis sunt analogia de quibus loquimur, quibus est idem nomen impositum consilio ob aliquam eorum inter se cognationem, & ideo æquivoca à consilio dicuntur, & vocantur æquivoca licet non sint talia proprie propter diversitatem quam habent in quo assimilantur æquivocis proprijs.

18 Aliqua discrimina reperiuntur inter analogiam proportionalitatis & attributionis; sed ad hoc ut illa proponamus necesse est comparare illas inter se, nam vel comparatur analogia attributionis metaphorica cum propria proportionalitatis & sic facili est resolutio, quia metaphorica attributionis solum significat rationem intrinsecam in vno ex analogatis, in alijs vero extrinsecam, & per solum denominationem ad principalis analogatum, analogia vero propria proportionalitatis significat rationes analogatis intrinsecas, quæ differentia sufficiens est ad eas inter se distinguendas specie, nam propter hanc solum rationem distinguuntur inter se analogiæ attributionis propria & metaphorica, & analogiæ proportionalitatis inter se inter quas est distinctio specifica proculdubio: Si vero fiat comparatio inter analogiam propriam attributionis ex vna parte, & inter analogiam proportionalitatis metaphorice ex alia, dicendum est distinctionem in eo consistere, quod analogia attributionis propriæ ex primæva impositione, sine aliqua translatione aut improprietate, competit nomen omnibus analogatis, non autem ita se res habet in analogia proportionalitatis metaphorica, quia alteri ex analogatis nomen improprie & per translationem convenit.

19 Maior difficultas est inter ipsas metaphoricæ collatas secum, & inter ipsas proprias comparatas inter se, vtrum habeant aliquod discrimen; sed nihilominus respondeo has analogias sic comparatas esse specie distinctas; & ratio manifestæ est, nam, ut supra diximus, analogia proportionalitatis semper reperitur inter duas proportionales, quæ necessario petunt quatuor terminos, analogia autem attributionis non petit nisi attributionem unius ad aliud: si autem comparatio fiat inter analogias proprias attributionis & proportionalitatis etiam distinguuntur specie propter eandem rationem: secundo quia analogia attributionis non reperitur inter terminos univocos; analogia autem proportionalitatis reperitur inter univocos terminos, ut patet ex hoc exemplo manifesto, videlicet sicut se habet rationale ad animal sic se habet differentia equi ad ipsum animal: ergo.

20 His omnibus analogijs addit Caietanus aliam

ex Divo Thoma, quam analogiam inæqualitatis vocat, videlicet eorum quorum nomen & ratio est omnino eadem, inæqualiter tamen perfecta in inferioribus huiusmodi sunt genera omnia ut animal, substantia, &c. quæ licet secundum rationem obiectivam ab inferioribus præcisam nullam habeant diversitatem, nihilominus ob inæqualitatem differentiarum contrahentium perfectius existunt in vna specie quam in alia, quam obrem Divus Thomas in primo distinct. 19. qu. 5. art. 2. vocavit hanc analogiam secundum esse, quoniam eatenus sunt inæqualia, quatenus perficiuntur differentijs specierum, quarum vna semper excedit imperfectione aliam, & ideo Averroes duodecimo metaphysicæ, commen. secundo censuit sufficiens esse fundamentum astruendi, genus proprius dici de vna specie quam de alia, hæc autem analogia solet communiter vocari physicæ inæqualitatis quæ minime tollit analogiam.

### SVBSECTIO III.

*Nostri sententia proponitur.*

Conclusio, dependentia inferiorum entis inter se non tollit univocationem ipsius entis si præcindatur simpliciter à differentijs eorum, sic multi ex Neothericis. Patet Hurt. disp. 9. logicæ, sect. 4. P. Arriaga & alij.

Probat primo, quia ubi non est forma seu ratio formalis, non potest esse effectus formalis intrinsecus talis formæ, sed in communi ratione entis simpliciter præcisæ non est dependentia, quæ est ratio formalis constituendi analogiam, & destruendi univocationem intrinsece: ergo dependentia inferiorum non tollit univocationem entis simpliciter præcisæ ab illis. Consequentia sic patet, quia ideo inæqualitas perfectionis quæ reperitur inter equum & hominem, non tollit univocationem animalis respectu ipsorum, quia illa inæqualitas non est in ipso animali simpliciter præciso, sed potius se habet ex parte inferiorum, quatenus talia sunt, nam si ex parte animalis reperiretur sine dubio proprius & immediatius, aut minimum æque proprie in omnium sententia ac alia ratio constitueret analogiam veram, & tolleretur univocationem.

Maior præcipua ipsa luce clarior est; albedo enim quæ informat parietem & non informat carbonem, nec reperitur in Æthiope, nullo modo potest reddere illum aut hunc album intrinsece & formaliter, & expellere nigredinem illius; item gratia sanctificans, quæ reperitur in anima iusti, & non informat animam peccatoris, non potest reddere peccatorem iustum, quia in peccatore non est formaliter, & ratio à priori evidens est, tunc quia forma causat effectum formalem per exhibitionem & informationem seu unionem intrinsecam respectu subiecti in quo datur talis effectus formalis: sed quando forma non est in aliquo subiecto non potest exhibere se illi & unire se cum illo, neque informare ipsum: ergo non potest in illo causare effectum formalem intrinsecum, tum etiam, quia de essentia effectus formalis est forma intrinseca, ergo non potest dari effectus formalis, ubi non datur forma intrinseca, alias daretur aliquid sine prædicato essentiali illius, & sine quidditative constitutivo illius, quod



quod est implicatorium, nam esset essentiale & non essentiale constitutum.

24 Minor præcipua iam latissime demonstrata manet hac disp. 2. ubi data opera supra probavimus, in ratione entis præcisa nullam dari diversitatem aut inæqualitatem, sed dependentiam, & independentiam dicunt diversitatem & inæqualem: ergo in ratione præcisa entis nulla datur dependentia & independentia.

25 Nihilominus tamen sic denuo probatur illa minor, quia omne id quod se tenet ex parte differentiarum inferiorum, quatenus tales sunt, non reperitur in ratione superiori illorum: sed potius est extra rationem ipsius, sed omnis dependentia quæ reperitur in rebus se tenet ex parte inferiorum, quatenus talia sunt, & ex parte differentiarum constituentium ipsa inferiora: ergo non reperitur in ratione superiori, sed extra rationem illius. Maior est evidens, quia illud quod se tenet ex parte inferiorum sequitur conditiones & naturas illorum, & quod se tenet ex parte differentiarum sequitur rationes formales illarum, quia accessorium sequitur principale, & ideo risibiles & capacitas disciplinæ, quia se habent ex parte hominis, quatenus talis est qui est inferior respectu animalis ut sic, & ex parte rationalitatis non se habent ex parte animalis, sed extra rationem illius, sed inferius ut inferius, & differentia ut talis sunt extra rationem superioris: ergo illud quod se tenet ex parte illorum est extra rationem superioris ut sic.

26 Minor sic probatur primo, quia accidens non dependet à substantia quatenus ens est, sed quatenus est tale ens, & per in hærentiam aptitudinalem constituitur in esse entis in alio; sed accidens, quatenus tale est inferius respectu entis ut sic: ergo dependentia quæ reperitur in rebus se tenet ex parte inferiorum, quatenus talia. Maior sic demonstratur, quia si accidens in quantum ens, & creatura in quantum ens, & non in quantum accidens, & creatura haberent dependentiam realem, talis dependentia conveniret illis ratione entis ut sic, ac proinde entitas ut sic esset ratio formalis dependendi, v. g. quia homo non est ens per se ratione humanitatis aut rationalitatis, sed potius ex eo quod substantia est, ratio entis per se, est prædicatum substantiæ ut sic, & substantia ut sic est ratio formalis propter quam homo est ens per se, quia vivere & sentire conveniunt homini ratione animalis, ratio animalis quæ est in homine est vivens, sensibile: sed per vos creatura & accidens habent dependentiam realem & essentialem non quatenus talia entia sunt, sed quatenus entia: ergo dependentia realis & essentialis est prædicatum entis ut sic, quod convenit creaturæ, & accidenti ratione entis, tunc sic.

72 Quidquid convenit alicui rationi superioris, tanquam prædicatum illius, prædicatur etiam de omnibus inferioribus, quæ conveniunt cum illo in ratione superiori quæ prædicatur de omnibus illis inferioribus, secundum illud evidentissimum principium, dici de omni, sicut quidquid negatur de superiori negatur de omni inferiori contento sub illo, iuxta illud principium, dici de nullo, v. g. ideo de Petro & de Paulo prædicatur rationale essentialiter, quia rationale est prædicatum reale hominis ut sic, qui est superior respectu Petri & Pauli; unde quia non solum Petrus & Paulus, sed etiam Antonius, & Ioannes conveniunt in ratio-

ne hominis cum Petro & Paulo, etiam de Antonio & Ioanne prædicatur rationale; item quia esse sensitivum convenit leoni non ratione propriæ differentię, sed potius ratione animalis, ut sic quæ est ratio communis non solum illi, sed homini, equo, & elephantibus; evidentem sequitur esse sensitivum, esse prædicatum animalis ut sic: ac proinde non solum convenire leoni, sed etiam homini, equo, elephantibus, & cæteris participantibus rationem animalis ut sic, & convenientibus cum leone in ratione illa animalis.

Sed per vos dependentia essentialis convenit 28 creaturæ, non quatenus creatura est, nec ratione differentię illius: sed potius ratione entis ut sic: ergo dependentia realis est prædicatum entis ut sic, ac proinde convenit enti ut sic dependentia realis & essentialis: ergo talis dependentia prædicatur de omni inferiori entis ut sic, & de omni contento sub ente ut sic essentialiter conveniente cum creatura in ratione entis ut sic: sed Deus est inferior entis ut sic essentialiter, & continetur sub illo & convenit realiter cum creatura in ratione entis ut sic, & ideo præcinditur simpliciter à Deo & à creatura ratio entis ut sic, ut supponimus in hoc titulo questionis: ergo dependentia quæ prædicatur de ente ut sic, seu quæ est prædicatum illius, prædicatur etiam de Deo, quia quidquid dicitur de superiori dicitur de omni inferiori illius; unde Deus erit ens dependens, creatum & participatum, quod est hæreticum, ac proinde viro catholico omnino fugiendum.

Ergo dependentia non prædicatur de Deo, & per consequens non erit prædicatum entis ut sic, nec convenit alicui inferiori ratione entis ut sic, videlicet creaturæ & accidenti: ergo convenit illis quatenus inferiora entis sunt, & ratione differentiarum eorundem: ergo dependentia non reperitur in ratione superiori entis.

Vergetur, quia in tantum dependet accidens à 29 substantia, in quantum potest in hærent, aut in hæret accidens in ipsa: sed quatenus ens non in hæret in substantia, quia quatenus ens non est ens in alio, alias in quantum ens esset accidens, & hæc esset directæ & formalis prædicatio, ens est accidens, quod est falsissimum, ut patet ex iam sæpe dictis, alias ultima ratio accidentis includeretur essentialiter in ratione entis: ergo ens non posset præcindi à differentia accidentis, quia nihil potest præcindi à proprio & essentiali constitutivo, ut videre est in homine, qui nullo modo potest præcindi à rationali vel animali, quia constituitur essentialiter ab illis: sed ens præcinditur simpliciter à differentia accidentis: ergo differentia accidentis non constituit ens, ac proinde ens non dependebit à substantia per in hærentiam, neque accidens ratione entis ut sic dependebit à substantia: ergo dependentia accidentis ab illa convenit accidenti ratione differentię.

Vergetur amplius, quia ens in quantum præcinditur ab accidenti & substantia à Deo & à creaturis, ex tali suppositione præcisionis simpliciter est una eadem & indivisibilis ratio: ergo in illa ratione non potest reperiri ullo modo dependentia: antecedens iam late demonstratum manet quæst. 2. & sequentibus huius disputationis.

Consequentia sic patet, quia ubi non sunt duo 30 sed unum, non potest dari dependentia realis, cum dependentia essentialiter petat duplicem terminum, videlicet terminum dependentem, & terminum



## Quaest. II. Vtrum Transcendentia, &c. 119

num à quo est dependens, & ideo omnis dependens, & est relatio transcendentalis, aut minimum inducit necessarium in dependente relationem prædicamentalem respectu termini à quo est dependens, relatio enim duo petit, & id in quo est relatio quod fundamentum relationis dicitur, & aliud extremum ad quod tendit illa relatio, quæ necessario duo distincta debent esse, quia sunt opposita relative; nam relatio etiam in divinis inducit distinctionem iuxta illud axioma Theologorum, in divinis omnia sunt vnum & idem, ubi non obviat relationis oppositio: ergo ubi datur dependentia datur dualitas seu dantur duo.

31 Sed in ente ut sic præciso non sunt duo, cum sit vna & indivisibilis ratio entis; nam si essent duæ rationes, vna illarum haberet aliquid quod non haberet alia, & per quam distingueretur ab illa, ac proinde fieret non illa; tunc sic, vel illud quod non habet vna ex illis rationibus & habet alia, est ens ut sic solum, vel aliquid supra ens ut sic, vel tandem aliquid infra ens ut sic; non supra ens, quia supra ens nihil est quia est ultima ratio abstracta ab omni ente; si est ens, falsum est dicere quod vna ex illis rationibus non habeat illud, cum utraque sit vere & proprie & simpliciter ens: ergo solum restat quod illud, quod non habet illa sit infra ens & inferius entis: sed in ente ut sic simpliciter præciso nullum est inferius, nec differentia illius, alias non esset simpliciter præcisum ab inferioribus: ergo in illa ratione entis ut sic præcisa simpliciter, non sunt duo, quia nihil potest esse in vno quod non sit in alio.

32 Præterquam quod si essent duo essent differentia distincta, sed omne differens & distinctum constituitur per differentiam, quæ intrinsece est in constituto: ergo in ente darentur differentia intrinsece, & essentialiter: ergo non esset ens simpliciter præcisum à differentijs: ergo contra suppositum questionis, sed ens est simpliciter præcisum à differentijs: ergo differentia non sunt in ente: ergo in ente non sunt constitutiva formalia differentium, & distinctorum, sed duo ut duo sunt differentia & distincta: ergo in ente ut sic præciso non sunt duo: ergo in illo non est vera & realis dependentia.

33 Declaratur amplius, quia si in ente essent duo conceptus distincti, & unus dependeret ab alio, per consequens ille qui dependeret esset imperfectior & alius perfectior, & sic necessario differentijs minoris & maioris perfectionis constituerentur, ac proinde in ipso ente sicut darentur illi duo conceptus differentes, darentur differentia etiam, quia ubi est constitutum essentialiter, essentialiter sunt constitutiva: unde quia hic est homo, hic est rationale quod est constitutum hominis, quia constitutum non potest separari à constitutivo essentiali illius, alias esset essentialia & non essentialia, essentialia ut supponitur, non essentialia quia sine illo intelligitur res, essentialia enim est illud sine quo neque esse neque intelligi potest res cuius est prædicatum essentialia.

34 Sed supposito quod ens ut sic sit præcisum simpliciter à differentijs & ab inferioribus, neque continet in se differentiam neque inferius alias non esset simpliciter præcisum à differentijs & inferioribus, sed per vos est simpliciter præcisum: ergo minime continentur in ente ut sic duo differentes conceptus, quæ sunt inferiora

entis ut sic, siquidem ab illis duobus convenientibus in ratione entis potest præscindi ratio entis ut sic; nam à quacumque convenientia abstrahitur ratio talis convenientia: sed duo illi conceptus differentes dependens & independens convenient in ratione essendi & opponuntur chymara: ergo ab illis potest abstrahi ratio communis entis, sed quidquid abstrahitur abstractione metaphysica ab aliquibus convenientibus inter se præscinditur ut ratio superior ab inferioribus: ergo illi duo conceptus dependens & independens sunt inferiora entis ut sic, & dependentia & independentia sunt differentie inferiorum entis ut sic; atqui inferiora & differentia inferiorum non continentur in ente simpliciter præciso, alias non esset præcisum & divisum ab illis.

Imo si possent esse differentia, licet non essent inferiora entis in ente idem inconveniens sequeretur, videlicet quod non esset ratio simpliciter præcisa, quæ petit non solum abstrahi ab inferioribus, sed etiam ab omni differentia illorum: ex quibus sequitur in ente ut sic nec dari duo vltimo modo, vnum quod dependeat & aliud à quo dependeat, nec datur dependentia & independentia: ergo nulla datur analogia in ente ut sic, quia analogia est effectus formalis dependentia, & ubi non est forma non datur effectus formalis: sed per vos nunc non datur dependentia in ente: ergo non datur analogia in illo, quæ est effectus formalis illius.

Nec potest dici quod licet in ente, ut sic non sint duo: sed unica ratio, nihilominus datur dependentia in ipso ente.

Sed contra manifeste, quia omnis dependentia realis in aliquo est respectu alterius distincti, quia idem non dependet à se ipso realiter, & præterea dependentia, ut supra diximus, est oppositio relativa, quæ petit esse inter duo distincta, omnis enim relatio est respectus unius ad aliud, id est ad distinctum, aliud enim & distinctum synonyma sunt: sed ens ut sic à nullo distinguitur realiter, nec habet aliquod à quo distinguatur & à quo possit dependere: ergo in ente ut sic nulla datur dependentia: minor est manifesta, quia vel illud distinctum ab ente & à quo ens dependet esset supra ens ut sic, & hoc non quia ens nullum superius habet, quia est vltima & suprema ratio præcisa ab omni quod datur à parte rei, nec etiam est aliquod æquale enti, quia ens nullum habet æquale distinctum à se, quia præscinditur ab omni, ut patebit ex dicendis *tractatu de unitate*, nec illud distinctum à quo possit dependere ens est inferius ente, quia ens ut sic nullo modo distinguitur à parte rei à suis inferioribus, ut patebit ex dicendis *infra* contra Scotum: ergo nullum est à parte rei à quo possit dependere ens, & respectu cuius habeat dependentiam realem; unde in ente nulla est dependentia.

Vergetur, ratio entis ut abstracta est indifferens per intellectum respectu Dei & creaturarum, & ratione talis indifferentia est contrahibilis ad constituendum Deum & creaturas, ita ut ratio entis, quæ contracta est ad creaturas, potuerit ratione nostra contrahi ad Deum: ergo illa ut sic præcisa, non habet ullam dependentiam: patet, quia si illam haberet non esset apta ut contraheretur ad esse Dei, quia nihil in se includens dependentiam aptum est esse in Deo: ergo ratio entis abstracta, quæ de se est indifferens



rens ratione nostra ut determinetur ad Deum vel ad creaturas non potest includere dependentiam: ergo neque esse analogia ratione illius.

38 Dices hoc argumento probari illas rationes entis ut præcisas, non dicere dependentiam inter se, id est rationem entis præcisam à creatura non pendere à ratione entis præcisam à Deo, negari tamen non posse illas rationes entis præcisas de se petere ut quæ contracta fuerit ad esse Dei sit independens ab illa quæ contracta fuerit ad esse creaturæ, & quæ ad creaturam dependeat ab illa quæ determinatur ad esse Dei, quod sufficit ut inferiora sint analogia in illa ratione. Sed contra primo, quia si ratio entis abstracta à creaturis habeat hanc exigentiam, illam etiam habet ratio entis abstracta à Deo, quia illa etiam est ratione nostra indifferens ad esse creaturæ & consequenter petit conditionaliter, ut si contrahatur ad creaturas dependeat à Deo: ergo hæc exigentia eodem modo reperitur in utraque ratione entis abstracta à Deo & à creaturis; ergo ratione illius non differunt illæ duæ rationes entis ut sic abstractæ, ergo nec Deus & creaturæ differrent inter se in istis rationibus entis. Contra secundo, quia iuxta hanc acceptionem etiam ratio animalis esset analogia, quia etiam abstracta petit, ut quæ contrahitur ad hominem sit perfectior illa, quæ contrahitur ad muscam: ergo vel ratio animalis est analogia respectu horum inferiorum, vel non est analogia ratio entis respectu Dei & creaturarum. Idem est in alijs omnibus rationibus communibus quantumvis univocis, quæ semper contrahuntur ad differentias inæquales; ideoque petunt eæ rationes abstractæ, ut quæ contrahuntur ad nobiliorem speciem, sint nobiliores quam quæ ad ignobiliorem.

39 Urgetur, quia dependentia ut dependentia opponitur independentiæ ut independentiæ, & differunt essentialiter inter se, ac proinde constituunt duo constituta à parte rei differentia, & opposita inter se quæ differunt ratione dependentiæ & independentiæ: ergo dependentia & independentia sunt differentia entis dependentis & independentis. Pater consequentia, quia illæ sunt differentia per quas duo differunt & constituuntur in esse differentium, sed ens independens, v.g. Deus, & ens dependens, v.g. creatura differunt inter se per dependentiam & independentiam; Deus enim ideo differt à creatura quia est à se, & creatura à Deo, quia est ab alio per veram & realem causalitatem: sed esse à se est independentia, & esse ab alio per causalitatem est dependentia: ergo Deus & creatura differunt per dependentiam & independentiam: ergo dependentia & independentia sunt differentia Dei & creaturæ, ideo enim rationale & irrationale sunt differentia hominis, & bruti quia per illa differunt, & distinguuntur essentialiter: sed Deus & creatura differunt & distinguuntur essentialiter per dependentiam & independentiam: ergo dependentia & independentia sunt differentia illorum, atqui ens ut sic præscindit à differentijs Dei & creaturarum, & quia præscindit ab illis non includit illas, sicut v.g. quia animal præscindit simpliciter à rationali & irrationali non includit, neque continet rationale aut irrationale: ergo ens quod præscinditur simpliciter à differentijs creati & increati, & à dependentia & independentia illorum non includit, neque continet dependentiam, &c. ergo non continet analogiam, quia ubi non datur ratio formalis alicuius, non datur effectus formalis talis rationis.

Confirmatur, quia ens in quantum præscinditur, solum continet & formaliter habet conceptum habendi esse, ita ut præter rationem habendi esse nihil aliud cernatur: ergo in illo conceptu nulla datur dependentia, ac per consequens analogia: antecedens evidens est, quia in ratione superiori simpliciter præcisam nihil aliud datur nisi constitutum intrinsecum talis rationis superioris, v.g. in animali ut sic non reperitur nisi vivens sensibile, & in homine ut sic, nihil reperitur nisi animal & rationale, quæ sunt intrinsece constitutiva illius, sed ens ut sic est ratio simpliciter præcisam: ergo in ente ut sic nihil aliud reperitur nisi habens & esse ut sic, quæ sunt intrinsece constitutiva entis ut sic, quatenus distinguitur ab entitate ut sic in abstracto; concretum enim est habens formalitatem per quam constituitur: sed ens est concretum, & formalitas per quam constituitur est entitas: ergo ens ut sic est habens entitatem seu esse, præter hoc autem nihil aliud habet.

Quod sic demonstratur, quia illud tantum habet ratio præcisam ab aliquibus in quo conveniunt omnia illa à quibus præscinditur illa ratio propter illam convenientiam; sed ratio entis ut sic est ratio universalissima præcisam simpliciter ab omnibus entibus sub omni latitudine entitatis: ergo illud solum includit in se in quo omnia entia conveniunt, sed omnia entia solum conveniunt in habere esse ut sic; ergo ratio simpliciter præcisam entis in se solum continet rationem indivisibilem habendi esse ut sic.

Consequentia illa prima sic demonstratur, primo quia dependentia non est habere esse ut sic, sed potius taliter habere esse quia est differentia habendi esse ut sic: sed in ente præciso simpliciter solum datur habere esse ut sic, & non aliud præter habere esse ut sic: ergo non habet taliter esse scilicet dependentiam.

Secundo, quia ut iam demonstratum manet, illud solum datur in ente ut sic, in quo conveniunt omnia entia à quibus abstrahitur ens, sed omnia entia à quibus abstrahitur ens ut sic non conveniunt in habendo dependentiam: ergo in ente ut sic non datur dependentia. Minor hæc est evidens, quia entia à quibus abstrahitur ens ut sic, sunt Deus & creatura: sed Deus & creatura nullo modo conveniunt in habendo dependentiam, alias Deus dependeret sicut creatura & haberet dependentiam sicut illa, quod est hæreticum: unde potius creatura differt à Deo per dependentiam ex eo quod Deus non habeat illam: ergo non omnia entia à quibus præscinditur simpliciter ens ut sic habent dependentiam.

Declaratur amplius, quia si cernitur in ente ut sic dependentia, cernitur etiam ratio creaturæ in illo, de cuius essentia est dependentia adequate, essentia enim adequate non potest esse sine re cuius est essentia, quia sunt idem omnino, ut videre est in homine respectu animalis rationalis, nullo enim modo potest dari animal rationale quin detur homo, quia animal rationale est essentia hominis: sed dependentia est essentia creaturæ: ergo si datur in ente dependentia, dabitur in ente creatura; sed creatura est inferior respectu entis ut sic: ergo datur in ente ut sic aliquid inferius ipsius, sed non est maior ratio, quare detur in ente ut sic vnum inferius potius



# Quæst. III. Vtrum Transcendentia, &c. 121

rius quam aliud; ergo in ente vt sic dantur omnia inferiora, ex quo sequitur primo quod conceptus ille non sit simpliciter ab omni inferiori præcisus, siquidem includit in se omnia inferiora, nam si animal includeret rationale & irrationale in se non præscinderetur ab illis. Secundo sequitur oppositum ijs quæ dicunt aduersarij, nam in conceptu communi entis non cognoscitur formaliter multitudo entium: sed tantum vna & indivisibilis ratio entis in qua conveniunt illa multa, quia conceptus præcisus, vt iam dixi, est conceptus convenientiæ & non differentiæ, & est conceptus non actualis, sed solum potentialis distinctorum & inferiorum per vos: sed in illo conceptu sunt ens creatum, & increatum: ergo ille conceptus non est vnus indivisibiliter convenientiæ, nec potentialiter plures, sed potius actualiter multiplex, ac proinde non erit simpliciter præcisus, quod est contra vos.

## SEBSECTIO I.

### *Solutiones Adversariorum refutantur.*

**D**ices etiam in ente vt sic non detur dependentia ratione dependentiæ quæ datur in inferioribus, esse inæqualitatem participabilem ab illis cum ordine prioris & posterioris.

Sed contra primo, quia illa inæqualitas in participatione non provenit ex ipsa forma participata, sed ex subiectis participantibus illam: atqui inæqualitas in participatione quæ provenit ratione subiectorum participantium aliquam formam, non causat analogiam in ipsa forma: ergo inæqualitas in participatione entis non causat in illo analogiam. Minor constat ex supradictis, cuius exemplum manifestum est: animus rationalis, qui participatur inæqualiter ratione subiectorum in quibus est, scilicet ratione diversarum partium materiæ primæ, hoc est quod materia prima non est æqualiter disposita vt in illa exerceat animus rationalis omnes operationes, quas potest exercere, & ita potest dici, quod non participetur æqualiter quasi in actu secundo ab omnibus partibus materiæ, & hæc est inæqualitas participandi ex parte subiecti non tamen ex parte formæ, quia animus rationalis non potest non vniri cuicumque parti materiæ secundum omnem suam rationem formalem, hoc enim est impossibile, quia omnis forma quæ est omnino indivisibilis non potest ex parte sui formaliter inæqualiter participari, quia vt inæqualiter participaretur, necessarium esset quod daretur talis inæqualitas in ipsa forma, & per consequens diversitas maioris & minoris perfectionis, quia omnis inæqualitas in perfectione dicit diversitatem maioris & minoris perfectionis, sicut inæqualitas in quantitate dicit diversitatem maioris & minoris magnitudinis, v.g. Deus est inæqualis creaturæ imperfectione, & ideo necessario datur diversitas maioris & minoris perfectionis inter Deum & creaturas, vbi cumque enim datur omnimoda identitas, non potest esse inæqualitas, quia de ratione inæqualitatis est quod datur aliqua distinctio inter inæqualia: sed forma omnino indivisibilis nullam habet distinctionem in se formaliter, alias non esset indivisibilis: sed divisibilis, quia omnis distinctio vt talis dicit pluralitatem conceptus.

*R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.*

tuum in ipsa re in qua datur talis distinctio: ergo si forma est omnino indivisibilis non potest habere diversitatem, & per consequens nec inæqualitatem in se: ergo forma vel quasi forma, quæ est omnino indivisibilis in se, non potest quantum est ex se inæqualiter participari, alia autem est inæqualis participatio ex parte ipsius formæ, v.g. animus equi inæqualiter participatur ex parte sui à diversis partibus materiæ, quia ipse animus in se habet diversitatem maioris & minoris perfectionis, quatenus est divisibilis, vt probabilior fert opinio, cum autem rationes communes participentur à suis inferioribus tanquam formæ à subiectis, potest dari etiam inæqualitas in participatione rationis superioris, quæ inæqualitas potest esse, vel ex parte inferiorum & subiectorum participantium ipsam rationem communem, quia ipsæ rationes inferiores habent in se inæqualitatem & per consequens diversitatem, v.g. animal inæqualiter participatur ab homine & equo, ex parte rationum inferiorum, quatenus homo participat rationem animalis coniungendo illi perfectiorem differentiam, scilicet rationalitatem, equus autem imperfectiorem, scilicet inibiilitatem, atque ideo animal perfectius est in homine quam in equo, quia habet perfectiorem differentiam sibi adiunctam in homine: sed hæc inæqualitas in participatione rationis superioris non constituit analogiam, quia tantum est diversitas physice inæqualitatis, vt inquirunt, id est ex parte inferiorum, alias nulla daretur ratio generica vniuersalis, quia omnis ratio generica ita petit participari, quia cum omnis generica ratio sit vniuersalis, & non dicat totam essentiam rei necessario debet dicere & respicere plures species, & per consequens debet petere inæqualitatem & diversitatem ex parte inferiorum, quod autem in ratione superiori scilicet animali detur talis aptitudo, vt inæqualiter participetur ex parte inferiorum, meo videri est evidens, quia omni actui correspondet necessario aliqua aptitudo vel potentia, sed datur actualis participatio inæqualis in animali ex parte inferiorum: ergo necessario datur aptitudo ad talem actualem participationem, sicut ex eo quod ratio generica actualiter contrahitur & participatur à differentijs specificis, datur necessario in illa aptitudo ad talem participationem per differentias specificas, quæ quia tales sunt, debent esse inæquales; species enim sunt sicut numeri qui omnes sunt inæquales, quod explicatur in ipsa definitione generis, scilicet est vnum aptum ad essendum in pluribus, &c. sed necessario datur actus inæqualis participationis ex parte inferiorum: ergo necessario datur aptitudo in ratione ipsa superiori, vt inæqualiter participetur ex parte inferiorum: ergo vel inæqualitas ex parte inferiorum in participatione alicuius rationis communis non tollit vniocationem, vel si illam tollit, nulla datur ratio generica communis, vel inæqualitas in participatione est ex parte rationis communis, v.g. sanum inæqualiter participatur ab animali, & medicina ex parte sui, quia datur in ipsa sanitate diversitas in se ipsa, & hæc inæqualitas in participatione rationis communis, vel quasi communis tollit omnino vniocationem: ergo inæqualitas in participatione quæ provenit ratione subiectorum participantium aliquam formam communem non causat analogiam.

*Q. Maior*



45 Maior prima, & præcipua probatur primo, quia inæqualitas in participatione, secundum adversarios provenit formaliter ratione dependentiæ: sed dependentia, & independentia proveniunt formaliter ex differentiis quæ sunt subiecta participantia rationem entis ut probatum est supra: ergo inæqualitas in participatione entis provenit ex subiectis participantibus illam.

Secundo, quoties aliqua forma est omnino indivisibilis & simplicissima in se si detur inæqualitas, vel diversitas in concieris participantibus illam formam, tota inæqualitas & diversitas provenit ex subiectis vel quasi subiectis participantibus illam formam, sed ratio entis est forma vel quasi forma omnino simplicissima, & indivisibilis in se: ergo tota inæqualitas in participatione illius provenit ex subiectis, & inferioribus participantibus illam. Maior constat ex supra nuper dictis, minor est evidens supposito quod ens sit simpliciter præcisum, quia si ens ut ens est, & in quantum distinguitur à suis inferioribus, & non includit illa non esset forma omnino indivisibilis, & simplicissima in se, & sine aliqua diversitate: ergo diceret aliquam diversitatem: ergo diceret differentias formaliter. Patet consequentia ultima, omnis diversitas provenit formaliter ratione differentiarum: ergo si ens diceret aliquam diversitatem in se diceret in se formaliter differentias, quia omnis conceptus vel dicit præcisè rationem convenientiæ, & sic dicit omnimodam identitatem, vel est conceptus differendi, & ille est differentia diversificans: ergo omnis ratio diversitatis provenit in conceptu communi à differentia: ergo si in conceptu communi datur aliqua diversitas necessario debet dari aliqua differentia causans talem diversitatem, quia quotiescumque datur effectus formalis alicuius formæ, necessario debet dari talis forma causans illum effectum formalem, sicut ex eo Concilia & Sancti Patres colligunt contra Hæreticos in Christo Domino esse animam rationalem, quia datur effectus formalis illius scilicet homo: ergo si in conceptu aliquo communi datur diversitas, necessario debet dari in illo causa illius diversitatis, sed causa diversitatis est differentia: ergo debet dari ibi differentia: ergo non erit conceptus simpliciter præcisus: ergo à contrario sensu; si ens ut sit est conceptus simpliciter præcisus, nullo modo debet dicere in se formaliter aliquam diversitatem; sed omnimodam identitatem, & unitatem, excludendo omnem inæqualitatem: ergo tota diversitas, & inæqualitas in participatione entis provenit ex differentiis, & inferioribus participantibus illud: Sed inæqualitas, quæ provenit ex differentiis non constituit analogiam: ergo inæqualitas in participatione entis non causat analogiam.

46 Contra secundo, illa inæqualitas non explicatur per hoc nomen *ens*, nec exprimitur per conceptum formalem illi respondentem: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens, illa inæqualitas provenit formaliter ratione differentiarum, sed differentia non explicatur per hoc nomen *ens*, nec representantur per conceptum formalem illi respondentem: ergo inæqualitas non explicatur &c. Maior meo videri est evidens, inæqualitas provenit formaliter ratione dependentiæ, & independentiæ: sed dependentia, & independentia provenit formaliter à differentiis:

ergo æqualitas, & inæqualitas provenit formaliter à differentiis. Maior est Sententia Adversariorum quam impugnamus; minor est evidens, quia creatura non dependet à Deo ut est ens, ergo dependet à Deo ut est creatura: antecedens est evidens, si creatura dependeret à Deo in ratione entis ut est ens, etiam Deus dependeret; sed hoc est hæreticum: ergo creatura non dependet à Deo ut est ens. Probatur maior, quidquid convenit alicui conceptui communi essentialiter convenit omnibus contentis sub illo conceptu, ut patet ex principio illo evidenti, dici de omni & dici de nullo, sed enti ut ens est convenit dependentia, & Deus continetur sub illo tanquam inferior illius; ergo Deo conveniret dependentia, sicut ex eo quod enti ut sit, convenit habere esse reale, etiam convenit Deo; ergo ratio dependentiæ provenit formaliter à differentia creati, & non a ratione entis: sed differentia non importantur per hoc nomen ens, nec per conceptum formalem illi respondentem: ergo ens non est analogum. Probatur antecedens, & est minor præcipua primi syllogismi, differentia sunt creatum, & increatum, perfectas, & imperfectas: sed ista non importantur per nomen ens, nec per conceptum formalem illis respondentem: ergo differentia non importantur per nomen ens &c. Maior est evidens, quia illa sunt quæ contrahunt rationem entis; minor etiam est evidens, primo quia differentia importantur per distincta nomina, scilicet perfectas, & imperfectas, & per nomina concreta substantia, & accidens, & loquor de illis quatenus distinguuntur saltem expresse ab ipso ente, vel eo modo quo possunt distinguui: sed ista nomina distinguuntur à nomine ens, ut probavi *quæstione superiori*: ergo differentia non importantur per nomen ens, sed per nomina distincta. Secundo probatur eadem minor, per nomen ens tantum importatur quod essentialiter includit ipsum ens actu & formaliter saltem confuse, sed ipsum ens non includit actu, & formaliter etiam confuse differentias: ergo differentia non importantur per nomen ens. Probatur minor, si ens includeret actu, & formaliter differentias, non esset simpliciter præcisum ab illis, quia ideo homo non potest præcindi à rationali nec ab ente, quia homo includit actu, & formaliter, saltem confuse rationale, & ens: sed ens est simpliciter præcisum, ut supponimus: ergo non includit actu & formaliter differentias: ergo differentia non importantur per nomen ens: ergo ens non est analogum. Patet ultimo, nomen analogum est quod se ipso formaliter significat conceptum partim eundem & partim diversum: sed nomen ens non significat talem conceptum: ergo non est analogum. Probatur minor, ens significat conceptum obiectivum entis præcisum sine differentiis, sed conceptus præcisus entis sine differentiis non est partim idem, & partim diversus, ut probatum est: ergo ens non significat conceptum partim eundem, & partim diversum: ergo quantum est ex se & ex sua parte non est inæqualiter participabile à suis inferioribus.

Quod sic demonstro, quia quotiescumque alicui repugnat aliquis actus, repugnat aptitudo ad talem actum: sed enti repugnat actus inæqualis participationis ex se, & ex parte sui: ergo repugnat aptitudo ad talem actum. Maior est evidens, præcipue si talis repugnancia sit respectu



### Quæst. III. Vtrum Transcendentia, &c. 123

Qua alicuius rationis superioris; nam ideo repugnat bruto ut sic, aptitudo ad ratiocinandum, quia illi repugnat actus ratiocinandi, & ratio est, quia omnis potentia & aptitudo ut talis essentialiter est in ordine ad actum. Minor etiam est evidens, quia quoties aliqua forma, ut iam dixi, est simplicissima, & indivisibilis repugnat, quod ex parte sui participetur actu inæqualiter: sed ens est forma simplicissima ut probatum est: ergo repugnat quod participetur actu inæqualiter ex parte sui: ergo non habet aptitudinem, ut participetur inæqualiter ex parte sui: ergo tota inæqualis participatio provenit illi ex parte differentiarum, & subiectorum participantium illud.

<sup>48</sup> Dices quod in conceptu ipso formali præscindente rationem entis datur inæqualitas, quatenus illam rationem primo, & per se præscindit à substantia, in qua est primo, & per se, & secundario præscindit illam ab accidente in qua est secundario, & per accedens.

<sup>49</sup> Sed contra primo tota inæqualitas conceptus formalis sumitur ex inæqualitate conceptus obiectivi: sed conceptus obiectivus entis, ut probatum est, nullam dicit inæqualitatem: ergo nec conceptus formalis illum præscindens; maior est evidens, quia ille conceptus formalis est indivisibilis realiter: ergo in se nullam potest habere inæqualitatem, quia inæqualitas dicit distinctionem realem extremorum inæqualium: ergo conceptus formalis cum sit vnus, & indivisibilis realiter in se nullam dicit inæqualitatem, unde totam dicit ex parte obiecti. Minor præcipua est iam probata, consequentia legitime inferitur. Secundo tota illa inæqualitas provenit ratione maioris, & minoris perfectionis, quæ est in independentia, & dependentia: sed conceptus formalis præscindens conceptum obiectivum entis nullo modo importat dependentiam, & independentiam cum non repræsentet illam; sed solum rationem entis abstractam ab illa: ergo conceptus formalis entis nullam dicit inæqualitatem.

#### SVBSECTIO II.

##### Secunda ratio principalis ponitur.

<sup>50</sup> Via illa non est ratio formalis alicuius effectus, quia posita non datur ille, sed posita dependentia inter duo non datur analogia in ratione superiori respectu illorum, nec destruitur univocatio in illa: ergo dependentia non est ratio formalis constituendi analogum. Maior est evidens, nam si posita albedine in subiecto non sequeretur album, albedo non esset ratio formalis constituendi illud, & ideo colligimus evidenter calorem non esse formalem rationem constituendi album: quia posito calore sapissime non resultat illud. Minor præcipua sic probatur, quia inter verbum mentis quod est propria & vera qualitas, & inter intellectum datur omne genus dependentiæ, per quod verbum mentis dependet à potentia intellectiva: sed nihilominus ratio qualitatis ut sic non est analogia respectu intellectus, & verbum mentis, sed potius est univoca: ergo posita dependentia inter duo non datur analogia in ratione superiori: illorum maior sic probatur, quia verbum mentis primo dependet necessario ab intellectu in genere causæ efficientis, quia ab illo necessario producit, quia est actus

R.P. Ildeph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

vitalis & intellectio, atqui actus vitalis qui est intellectio necessario dependet ab intellectu in genere causæ efficientis: ergo verbum mentis dependet in genere causæ efficientis ab illo. Deinde dependet etiam ab intellectu ut à fine, quia verbum mentis ordinatur ad perficiendum intellectum, item dependet in genere causæ materialis, quia recipitur in ipso; verbum enim mentis non potest in alio subiecto præter intellectum subiectari, quia est actus vitalis, qui ex eo quod talis sit petit fluere à potentia vitali & recipi in ipsa, sicut habitus scientiæ non potest subiectari nisi in intellectu: ergo inter actum vitalem seu verbum mentis & intellectum datur omne genus dependentiæ.

Dices solam dependentiam essentialiam tollere univocationem non autem dependentiam con naturalem ut est quæ reperitur inter Patrem, & Filium.

Sed contra, quia dependentia, quæ datur inter actum vitalem habitum scientiæ, & potentiam, est essentialis: sed nihilominus non sufficit ad analogiam; ergo nulla dependentia sive sit essentialis &c. Maior sic probatur, illa est dependentia essentialis sine qua non potest esse illud quod dependet (ut ipsi adversarii fatentur) & quam petit essentialiter in aptitudine ex vi suæ definitionis; nam ideo dependentia quam habet accedens à substantia est essentialis illi, quia sine actuali non potest esse naturaliter, & illam aptitudinem dicit ex vi suæ definitionis, nam accedens est quod petit ex sua essentia dependere à substantia aptitudinaliter, sive per inhaerentiam sive per adhaerentiam, sed actus vitalis non potest esse naturaliter sine influxu actuali potentiæ vitalis & essentialiter petit aptitudine ex sua natura profluere à principio vitali & recipi aptitudinaliter in illo: ergo tam essentialiter dependet actus vitalis à potentia vitali, sicut & accedens à substantia; distinguitur enim dependentia actus vitalis à dependentia quam habet homo ab alio homine, nam homo non petit ex sua essentia, v. g. Petrus oriri à Ioanne, quia naturaliter poterat oriri à Petro vel poterat oriri immediate à Deo solum, ut Adam sine aliquo miraculo, quod aliter evenit in actu vitali.

<sup>52</sup> Respondent aliqui rationem qualitatis esse univocam, eo quod ipsa potentia à qua pendet actus vitalis pendet à substantia, idque in eodem genere causæ materialis, in quo actus ipse à potentia pendebat, quod tamen non ita est in substantia & accidenti; nam hoc pendet à substantia in genere causæ materialis, hæc vero à Deo in genere causæ efficientis, & hanc assignant tanquam rationem à priori.

<sup>53</sup> Sed contra primo, quia sententia adversarium erat, dependentiam veram essentialiam esse rationem constituendi analogiam, sed licet potentia vitalis dependeat à substantia, non obest hæc dependentia dependentiæ verbi mentis ab intellectu; nam licet intellectus dependeat essentialiter ab anima non definit esse essentialis dependentia quam habet actus vitalis à potentia vitali: unde manebit ratio formalis analogiæ inter verbum mentis & intellectum. Patet evidenter, quia ubi datur ratio formalis alicuius effectus, datur effectus talis rationis formalis; sed tota ratio formalis analogiæ per vos est dependentia vnus ab alio: ergo data dependentia vnus ab alio datur analogia, sed etiam si detur dependentia intel-

Q 2 Aus



Ab anima, datur vera dependentia intellectio-  
nis ab intellectu: ergo etiam si datur dependentia  
intellectus ab anima, dabitur analogia inter in-  
tellectum & intellectionem, sicut propter ean-  
dem dependentiam datur analogia inter ipsum  
intellectum, & animam rationalem, præcipue quia  
ideo in sententia adversariorum dependentia cau-  
sat analogiam, quia dependentia dicit priorita-  
tem, & posterioritatem inter ea in quibus datur  
dependentia, sed licet intellectus dependeat ab  
anima ex eo solum quod intellectio dependeat ab  
intellectu, datur vera prioritas in intellectu respec-  
tu intellectionis, quæ ex eo quod dependeat ab  
intellectu est posterior natura ipso intellectu, tam  
in genere causæ efficientis quam in genere causæ  
materialis: ergo non obstante dependentia intel-  
lectionem & intellectum datur analogia, solum  
enim recte potest dici quod etiam datur analogia  
inter intellectum & animam, ex vi dependentiæ  
quam habet intellectus ab anima, non autem  
quod non datur analogia inter intellectionem &  
intellectum, sicut quod dependeat intellectus ab  
anima non tollit dependentiam intellectionis ab  
intellectu: atqui licet detur talis dependentia inter  
intellectum, & intellectionem, non datur analogia  
inter ipsos: ergo dependentia unius ab alio non  
causat analogiam.

54 Sed contra secundo: etiam si aliquid dependeat  
adæquate, & essentialiter ab aliquo, modo expli-  
cato in solutione datur univocatio: ergo nulla est  
solutio; probatur antecedens, eodem argumento  
qualitatis; qualitas ut sic est univoca respectu  
omnium qualitatum naturalium, & supernatura-  
lium; sed una qualitas supernaturalis dependet  
essentialiter ab illa modo dicto in solutione: ergo  
dependentia adæquata, &c. non tollit univo-  
cationem, vel qualitas ut sic erit analoga, quod  
fugit adversarij. Maior est evidens, & probari  
potest eodem argumento quo supra probavimus  
æqualitate comparata ad potentiam, & actum vi-  
talem. Probat minor, actus supernaturalis de-  
pendet essentialiter solum in genere causæ effi-  
cientis, sicut habitus supernaturalis dependet à  
Deo solum in genere causæ efficientis, sed actus  
supernaturalis vitalis convenit univocæ in ratio-  
ne qualitatis cum habitu supernaturali: ergo de-  
pendentia essentialis adæquata modo explicato  
non causat analogiam. Maior meo videri est evi-  
dens, præcipue in sententia Thomistica, & in pri-  
mis actus supernaturalis dependet efficienter ab  
habitu supernaturali, ut est certum apud Theolo-  
gos, quia complet potentiam. Deinde probatur  
quod illa dependentia sit essentialis, & sumo ha-  
bitum luminis gloriæ comparatum ad visionem  
beatificam, ita actus visionis beatificæ dependet  
à lumine gloriæ, ut etiam divinitus in sententia  
Thomistica (& idem asserunt de habitu fidei, spei,  
& charitatis in ordine ad suos actus) non possit  
fieri sine concursu luminis gloriæ, & in sententia  
communiteriam possit fieri divinitus sine illo,  
nihilominus ex sua natura petit fieri ab ipso ha-  
bitu, sicut accidens quando divinitus fit à Deo  
sine concursu substantiæ: ergo actus supernatura-  
lis dependet essentialiter ab habitu supernaturali,  
quod autem illa sit dependentia adæquata in ge-  
nere causæ efficientis patet evidenter: illa est de-  
pendentia adæquata secundum adversarios in ge-  
nere causæ efficientis, quando causa non depen-  
det ab alia in eodem genere in quo ipsa est causa:

sed habitus supernaturalis non dependet ab alia  
causa in eodem genere in quo habitus est causa  
actus supernaturalis: ergo habitus supernaturalis  
est causa adæquata actus supernaturalis modo di-  
cto. Maior est sententia adversariorum; minor est  
certa in Thologia, quia habitus supernaturalis est  
per se infusus, & ideo producit efficienter à solo  
Deo, ut optime probat eximius noster Doctor  
tom. 3. de gratia, lib. 8. cap. 4. ergo in actu super-  
naturali respectu habitus supernaturalis datur tota  
dependentia requisita ab adversarijs: sed non datur  
analogia attributionis inter illos: ergo depen-  
dentia essentialis non est causa formalis constitutiva  
analogiæ attributionis. Patet consequentia, quan-  
do datur aliqua forma ex natura sua in aliquo  
subiecto, & non datur aliquis effectus formalis,  
illa non est causa adæquata illius effectus, sicut  
existente calore in subiecto colligitur non esse  
causam frigiditatis quia non datur frigidum; sed exi-  
stente dependentia essentiali inter extrema parti-  
cipantia rationem aliquam communem, non exi-  
stir analogia attributionis: ergo dependentia es-  
sentialis non est causa analogiæ attributionis.

Contra tertio, quia in actu vitali respectu suæ 55  
potentiæ datur tota dependentia, quæ secundum  
adversarios requiritur ad analogiam causandam:  
sed ibi non datur analogia ut ipsi fatentur: ergo  
dependentia requisita ab adversarijs non est causa  
analogiæ. Probat maior, illa est dependentia  
sufficiens ad causandam analogiam quando effe-  
ctus dependet essentialiter à causa in alio genere  
in quo dependet causa: sed actus vitalis dependet  
à potentia essentialiter in alio genere causæ ab  
eo, in quo ipsa potentia dependet ab anima: ergo  
datur tota dependentia quæ requiritur ad consti-  
tuendam analogiam. Maior est solutio adver-  
siorum: probatur minor, actus vitalis dependet à  
potentia tanquam à secundo subiecto, & potentia  
dependet ab anima tanquam à primo subiecto:  
sed secundum adversarios dependentia ab aliquo  
tanquam à causa secunda, & dependentia tan-  
quam à prima causa in aliquo ordine est depen-  
dentia in diverso genere causæ: ergo in actu vita-  
li, & potentia vitali datur dependentia in diverso  
genere causæ. Maior est certa, quia illud est pri-  
mum in aliquo genere causæ quod non supponit  
aliud in eodem genere, & ideo ab Aristotele, &  
cum eo ab omnibus Doctoribus in physicis ma-  
teria prima dicitur primum subiectum, quia in ge-  
nere subiecti non supponit aliud, & principia entis  
naturalis dicuntur prima principia, quia non su-  
ponunt alia principia in eo genere, in quo ipsa  
sunt principia, sed animus rationalis in genere  
causæ subiectivæ non supponit aliud subiectum  
à quo dependeat, & ut hoc magis vigeat sumo  
Angelum comparatum ad suas potentias: ergo  
Angelus est primum subiectum; sed potentia vita-  
lis comparata ad suos actus supponit aliud pri-  
mum subiectum scilicet substantiam Angelicam: ergo  
est secundum subiectum: ergo actus vitalis de-  
pendet à potentia vitali in genere causæ secun-  
dæ subiectivæ, & potentia vitalis dependet à sub-  
stantia Angeli in genere causæ primæ subiecti-  
væ: sed dependere in genere causæ secundæ, &  
in genere causæ primæ est diversum genus depen-  
dentia: ergo actus vitalis dependet à potentia  
vitali in diverso genere causæ, ab eo quæ dependet  
potentia vitalis à substantia. Probat minor,  
ideo secundum adversarios dependentia qua una  
creatura dependet ab alia, est diversum genus depen-  
dentia:



# Quaest. III. Vtrum Transcendentia, &c. 125

pendentia ab eo quo creatura dependet à Deo, quia creatura est causa secunda, & Deus est causa prima in genere causae efficientis, sed potentia vitalis in genere causae passivae est causa secunda subiectiva, & substantia est causa prima subiectiva: ergo iam datur diversum genus dependentiae in actu comparato ad potentiam, & impotentia comparata ad actum: ergo vel dependentia essentialis non erit causa analogia: vel qualitas vel sit erit analogia.

Deinde: ergo accidens ut sit non est analogum comparatione accidentium intrinsecorum, patet consequentia, ideo qualitas secundum adversarios non est analogia respectu actus vitalis, & potentiae, quia potentia etiam dependet à substantia in genere causae materialis, sed omne accidens reale quod est causa alterius dependet etiam à substantia in genere causae materialis: ergo accidens non est analogum comparatione omnium accidentium intrinsecorum.

Præterea evidentius impugno, nam in primis forma substantialis materialis dependet à materia in genere causae materialis: item potentiae vitales seu accidentia alia ipsius formae materialis dependent etiam in genere causae materialis ab ipsa forma substantiali, & nihilominus datur analogia inter ipsa accidentia, & formam substantialem, licet illa eodem genere causae dependant, quia ens analogum est in sententia adversariorum ad accidentia animae equi, & ad ipsam animam: ergo falsa est solutio adversariorum, quare si dependentia in eodem genere causae quae vera dependentia est non causat analogiam inter duas qualitates, non causabit etiam inter substantiam animae, & ipsas qualitates: unde nulla dependentia causabit analogiam.

Respondent adversarii has potentias vitales aliam habere dependentiam à causa secunda, scilicet à forma substantiali in genere causae efficientis, quam dependentiam non habet forma substantialis, quae licet à Deo procedat in genere causae efficientis, ut à causa prima, non tamen ut à causa secunda, ex quo etiam constat actus, & potentias vitales eodem modo pendere: nam sicut actus pendet à potentia in duplici genere causae, ita potentia à forma substantiali, & à materia prima ab hac in genere causae materialis, ab illa in genere causae efficientis.

Sed hæc solutio locum non habet in speciebus impressis in memoria equi, nam tales species non dependent à memoria equi in genere causae efficientis, sed solum in genere causae materialis, sicut potentia dependet ab ipsa anima equi, & ipsa anima equi à materia prima: ecce quomodo qualitates illae intentionales dependent in eodem genere causae ab anima quo ipsa anima equi dependet à materia prima, & nihilominus vos dicitis inter species impressas, & animam equi dari analogiam propter dependentiam: ergo si recte procedere debeatis secundum vestra principia vel omnis dependentia debet causare analogiam vel nulla debet causare, sed certum est aliquam dependentiam essentialiter non causare analogiam: ergo nulla causat, quia nullum est discrimen, neque maior ratio unius quam alterius ut patet ex dictis.

Sed hæc solutio locum non habet in qualitatibus independentibus in genere causae efficientis ab aliqua causa secunda, ut est calor quando est in aqua, humor quando est in terra, item habi-

tus tam naturales quam supernaturales, tamen intellectui quam in voluntate existentes, species etiam impressae quae in memoria conservantur non dependent à subiectis in quibus sunt, nec ab alia causa secunda in genere causae efficientis, cum tamen ratio entis respectu substantiae, & huiusmodi accidentium sit analogia in eorum sententia: ergo licet duo in eodem genere causae pendeant, bene potest esse analogia inter illa, & si non est inter ipsa, nec in diverso genere erit analogia.

Dices, dependentiam vitalem qualitatum non inducere analogiam quia non significatur talis dependentia per hoc nomen qualitas ex modo representandi ipsius nominis, atque ideo licet in ipsis extremis detur talis dependentia essentialis, nihilominus cum ex vi nominis qualitas non importetur habitudo unius qualitatis ad aliam, sit ut non sit analogum nomen, quia tantum importatur habitudo qualitatis ad substantiam.

Sed contra primo, & ante impugnationem adverte, nomina ipsa communia in esse talium constitui penes rationem significatam: unde id significant quod ipsae rationes habent in se, non tamen quod intendunt significare imponentes talia nomina: alias ratio entis, & cetera nomina quae sunt communia Deo, & creaturis principalibus conveniunt creaturis quam Deo, & ratio est quia homines naturae lumine philosophantes prius cognoverunt esse creaturatum, & alias perfectiones creatas & ideo eas prius nominaverunt: unde si ad mentem eorum qui imposuerunt talia nomina attendamus, invenimus quod prius & principalius conveniunt ipsa nomina creaturis quam Deo, cum tamen principalius ipsa res significata inveniantur in Deo saltem ratione differentiae quam in creaturis inde est quod nomen substantiae, sapientiae, &c. principalius dicatur de Deo quam de creaturis in sententia contraria, & per consequens sit ut talis inaequalitas necessario importetur per nomen, quae doctrina est etiam Divi Thomae prima pars, quaest. 13, art. 5. quo posito sic argumentor, ideo per nomen ens importatur inaequalitas necessario quia res ipsae participantes in se rationem entis habent talem inaequalitatem cum dependentia prioris & posterioris, sed significata per hoc nomen qualitas, & res ipsae participantes rationem qualitatis habent inaequalitatem cum dependentia prioris, & posterioris ita ut prius descendat ratio qualitatis ad potentiam quam ad actum, quia ad hunc descendit cum dependentia essentiali ab ipsa potentia: ergo ex vi huius nominis qualitas importatur necessario inaequalitas inter ipsas qualitates, & habitudo unius ad aliam: ergo nomen qualitas est analogum.

Contra secundo: ergo nomen accidens non erit analogum ad praedicamenta accidentium intrinsecorum: patet consequentia, ex vi nominis accidentalis secundum adversarios non importatur habitudo unius accidentis ad aliud, nec ordo prioris, & posterioris, sed nomen quod non importat habitudinem unius extremi ad aliud cum ordine prioris & posterioris non est nomen analogum, sed univocum respectu illorum extremorum: ergo nomen accidens ad omnia praedicamenta accidentium intrinsece non erit analogum sed univocum, maior est solutio adversariorum, nam ideo nomen aequalitas non importat habitudinem unius extremi ad aliud, sed omnium extremorum ad substantiam quia est nomen accidentale cuius significatum essentialiter ordinatur ad



substantiam sed nomen accidens est accidentale: ergo solum importat habitudinem accidentium ad substantiam, & non accidentium inter se: minor præcipua est etiam evidens, quia ideo qualitas secundum adversarios est univoca ad actus naturales, & potentias quia ex vi huius nominis qualitas non importatur habitudo unius qualitatis ad aliam, sed tantum habitudo qualitatum ad substantiam; consequentia legitime inferitur: ergo nomen accidens non est analogum ad omnia accidentia intrinseca quod negant omnes adversarii, quia esset genus cum esset univocum, & non transcendens, & sic omnia accidentia intrinseca unicum tantum constituerent prædicamentum, quod absurdum reputant adversarii; quod totum ita vergetur, magis expresse importatur habitudo accidentium ad substantiam per hoc nomen accidens quam habitudo qualitatum ad substantiam per hoc nomen qualitas: sed ex eo quod significata participantia rationem accidentis dicunt inter se essentialem dependentiam necessario ex vi illius nominis accidens importatur habitudo accidentium inter se: ergo etiam ex eo quod qualitates dicant essentialem habitudinem, & dependentiam inter se etiam si importetur habitudo illarum ad substantiam importabitur necessario habitudo illarum inter se. Maior est certissima, quia accidens in sua definitione expresse dicit habitudinem ab substantia, est enim ens, ut asserunt adversarii omnes, id est ens substantiæ; sed qualitas dicit illam habitudinem ad substantiam tantum ex vi conceptus accidentis quod includit: ergo magis expresse, & immediate dicit accidens ipsum habitudinem ad substantiam quam nomen qualitas: ergo vel nomen accidens est univocum quod negant adversarii, vel nomen qualitas est analogum. Confirmatur: ergo etiam nomen ens posset esse univocum ad Deum, & creaturas: patet consequentia, quia poterat imponi tantum ad significandum conceptum obiectivum entis præcise secundum rationem convenientiæ non significando habitudinem creaturarum ad Deum, sed nomen quod non significat habitudinem extremorum inter se non est analogum, sed univocum respectu illorum extremorum: ergo nomen ens potest esse univocum comparatione Dei, & creaturarum. Maior est evidens quia secundum adversarios etiam si aliqua extrema dicant essentialem dependentiam, & habitudinem inter se potest imponi aliquod nomen quod solum significet rationem convenientiæ, & non habitudinem extremorum inter se: ergo etiam si extrema participantia rationem entis dicant essentialem dependentiam, & habitudinem inter se poterit imponi nomen ens solum ad significandum rationem, in qua conveniunt illa extrema non significando essentialem dependentiam, & habitudinem extremorum inter se, imo ideo nos dicimus de facto nomen ens esse univocum respectu Dei, & creaturarum supposita præcise entis simpliciter quia ex vi huius nominis, ens solum importatur convenientia illorum extremorum, & non dependentia, nec habitudo unius extremi ad aliud, minor præcipua est solutio adversariorum, & est iam etiam probata ratione superiori: consequentia legitime inferitur.

63 Multi convicti hac ratione concedunt nomen, qualitas, esse analogum ad omnes qualitates; sed contra. Si nomen qualitas esset analogum non

constitueret unum prædicamentum, sed hoc est impossibile secundum adversarios: ergo, &c. maior est evidens, illa enim quæ constituunt unum prædicamentum debent contineri sub aliquo genere; sed si qualitas ut sic esset analogica non esset genus: ergo illa, quæ continentur sub illa non continerentur sub aliquo genere; ergo qualitates non constituerent unum prædicamentum: ergo darentur duo prædicamenta qualitatis, unum pro actibus vitalibus, & aliud pro potentijs, & alijs qualitatibus. Patet consequentia, illa quæ constant genere, & differentia, & sunt entia per se completa finita, & limitata constituunt aliquod prædicamentum, sed qualitates vitales sunt entia completa (eo modo quo cætera accidentia) finita, limitata & per se, & constant genere, & differentia: ergo constituunt unum prædicamentum, sed etiam potentia vitales hæc omnia habent: ergo constituunt aliud prædicamentum: ergo prædicamenta sunt undecim, quod absurdum reputant adversarii. Patet ultima consequentia, prædicamenta accidentium essent decem scilicet octo communiter assignata, & duo alia pro potentijs vitalibus, & actibus illarum, & aliud prædicamentum substantiæ: ergo prædicamenta sunt undecim.

Dices quod qualitas est nomen univocum, quia 67 illa dependentia unius qualitatis ab alia non fit in ratione qualitatis sed in ratione talis qualitatis scilicet actus vitalis. Sed contra: ergo dependentia ex vi differentiarum non constituit analogiam: ergo ens non est analogum ad Deum, & creaturas. Patet consequentia, creaturæ dependent à Deo ratione differentia, ut concedunt adversarii, & probatum est primo argumento, sed dependentia ratione differentiarum per vos non constituit analogiam, quia ideo qualitas non est analogica quia dependentia est ratione differentiarum: ergo ens non est analogum ad Deum, & creaturas.

### SVBSECTIO III.

*Alia solutiones refutantur, & amplius confirmatur nostra conclusio?*

R Espondent adversarii non pendere qualitates vitales actuum in esse qualitatis à potentia, & ideo non dicere analogiam.

Sed contra quia si sumatur præcise nec accidens dependet ut ens à substantia, si autem sumatur realiter omnia prædicata quæ sunt in accidente pendunt à substantia, & omnia quæ sunt in actu vitali à potentia; nec enim aliquis gradus pendet, & alius non pendet, cum in re sint vna res simplicissima: ergo in quantum sunt qualitates à parte rei, & in quantum sunt entia pendunt, id est tota entitas illorum pendet licet necessitas dependentiæ essentialis non oriatur ex ratione entis communissima: ergo eodem modo se habet accidens respectu substantiæ ac se habet actu vitalis respectu potentia; unde vel utrumque est analogum vel neutrum, quod certissimum iudicio ut patet ex dictis.

Dices hoc nomen qualitas non importare habitudinem actus vitalis ad potentiam, & ideo non 69 dari analogiam inter actum vitalem, & potentiam vitalem, quia ex vi qualitatis ut sic non significatur illa dependentia seu habitudo, e contra vero



# Quæst. IV. Vtrum Dependētia, &c. 127

vero contingit in ente ubi continetur, & significatur habitudo vnius inferioris respectu alterius, quia hoc nomen ens ex ipsa impositione hominum significat Deum ut independentem, & creaturam ut dependentem, ac proinde significat principaliter Deum, quam creaturam.

70 Sed contra, quia totum hoc voluntarie dicitur, nam sicut nomen qualitas significat solum convenientiam omnium inferiorum, & non differentiam eorum, ac proinde non significat dependentiam vnius ab alio, sed solum rationem communem omnium, & ideo non est analogum, ita similiter ens solum significat rationem convenientiam omnium entium, ac proinde rationem communem omnibus præcisam à differentiis, ratione cuius nullam differentiam significat: ergo non significat dependentiam vnius ab alio nec habitudinem inaequalem inferiorum inter se, quia hæ rationes sequuntur differentias, & non communem rationem præcisam, quam solum significat illud nomen commune, unde non erit analogum, sicut nec est analogum qualitas propter eandem rationem, non enim est maior ratio vnius quam alterius. Secundo, quia sicut per hæc nomina substantia, accedens non significatur ratio præcisam entis, sed potius ratio entis contracta ad perfectiorem, & inaleitatem, ac proinde substantia, & accedens constituta per ens contractum ad illas differentias, ita similiter per hoc nomen ens significatur ratio præcisam entis, & non contracta per differentias, & ideo per illud non significantur inferiora entis: ergo sicut in nomine substantia, & accidenti significatur inaequalitas, & dependentia, quæ datur inter accedens, & substantiam ratione differentiarum, quæ representantur in illis, ita à contrario sensu in hoc nomine ens nulla inaequalitas, nulla habitudo, nulla dependentia, ac proinde nulla diversitas significatur, quia solum significatur vna indivisibilis ratio simplicissima, & non significantur duo quæ necessaria sunt ad diversitatem, dependentiam, & inaequalitatem: ergo falsa est solutio adversariorum.

Dices, primam significationem nominis entis non esse impositam ab hominibus ad significandam rationem præcisam, sed potius ad significandam inferiora.

71 Sed contra, quia illud nomen ens non significat distincte, & clare inferiora eo modo quo significant illa substantia, & accedens: atqui nomina imposita sunt à viris Doctis ad clare, & distincte representanda obiecta: ergo non est impositum tale nomen ad significandum inferiora entis, sed potius ad significandam rationem communem habendi esse, hoc est non repugnantiam ad existendum quia hanc clare, & distincte representant.

72 Sed concedamus illos primos inventores nominum non attendisse ad rationes communes, sed solum voluisse significare per nomina, entia particularia, certe in hoc casu ut inquit Divus Thomas *prima parte*, dicendum est nomen ens impositum esse primo ad creaturas denotandas ut supra dixi, quia homines prius cognoverunt creaturas quam Deum, & ideo hoc nomen ens creaturis imposuerunt quatenus conveniunt in ratione essendi, quia ens est concretum, & significat habens esse ac si aliquomodo distinguatur habens, & esse, & per quandam illius participationem sit ens, & quoad hunc modum significandi denominatio entis proprius convenit creaturæ quam Deo, adeo ut in hoc rigore loquentes interdum Doctores dicant Deum non esse ens, sed supra ens ut egregie declaravit Picus Mirandulanus *opusculo de ente*, & uno cap. 3. ex nonnullis Platoniciis, & Dionysius *c. 5. de divinis nominibus*, & cap. 5. de mystica Theologia, quem ex parte imitatur Augustinus *lib. 5. de Trin.* cap. 1. Basilii *lib. 5. contra Eunomium*, Damasc. *lib. de fide*, Boetius *de Trin.* unde si ex hac impositione, & significatione deberemus loqui potius dicendum esset creaturam esse principaliter analogatum entis, quia prius significatur. Tamen quia non colligitur ut supra notavi analogia vel univocatio ex modo significandi nominum, sed ex rebus ipsis quæ significantur per tale nomen, cum autem Deus principaliter habeat esse quam creatura ratione cuius absolute dicitur *Exodi 3. Ego sum, qui sum*, ubi septuaginta habent *ἐγώ εἰμι ὁ ὢν*, id est ego sum ipsum ens, quia scilicet ut Dionysius asserit Deus non quomodocumque est sed absolute & perfectissime sine ullo termino univoco illo quod est esse occupato & in se comprehenso, inde est quod loquendo de analogia physica inaequalitatis Deus dicatur analogatum principaliter, quia Deus secundum quod à parte rei est, principaliter ens sit, loquendo autem de analogia metaphysica ex vi rationis superioris nullum datur analogatum ex vi entis sed potius omnia univoco conveniunt quia æqualiter participatur à Deo, & à creaturis, quapropter si ad primam significationem nominis ens attendere deberemus oppositum ijs quæ dicunt adversarij, colligeretur scilicet quod principaliter significatum entis sit creatura, quia vero hoc non est attendendum viro Docto, ideo dicendum est id quod iam asseruimus solum attendendum esse ad immediatum significatum metaphysicum illius nominis, quod quia quale est omnibus inferioribus, sicut qualitas ad omnes qualitates, ideo incunctanter dicimus sicut qualitas non est analogica sed univoca ad æqualitates, ita similiter ens.

Item quia virtus moralis ut sic quatenus abstrahit à divinis, & creatis est analogica in sententia adversariorum, quia virtus divina perfectior est creata, & nihilominus ex vi huius nominis non significatur habitudo, & dependentia virtutum creaturarum ad increatas, quod patet clarissime, quia v.g. misericordia creata non dependet à iustitia in creata formaliter sumpta, sed ab omnipotentia divina; ergo ex vi huius nominis, virtus moralis ut sic, non significatur dependentia inter iustitiam, & misericordiam divinam, nam ex vi nominis veri non significatur nisi illud, quod est vere, sed vere non dependet misericordia creata à iustitia divina: ergo non significatur talis dependentia ex vi nominis quia iam falso significaretur, & idem est in hoc nomine accedens, quod est commune ad accidentia tam intrinseca quam extrinseca, quod in sententia omnium adversariorum analogum est, & nihilominus in accidenti ut sic non significatur dependentia accidentis extrinsece ab intrinseco, nam ideo qualitas ut ipsi asserunt non dicit illam dependentiam vnius ad aliud, quia vna qualitas non est ens alterius sed substantiæ, sed accedens extrinsecum non est ens accidentis intrinseci v.g. esse cognitum in substantia non est ens quantitatis sed substantiæ: ergo licet ex vi nominis communis, &c.

Vergetur



74 Vergetur, quia falsum est dicere ens ut sic dependentiam accidentis ad substantiam, qualitatem autem ut sic non dicere, nam ideo ens, & non propter aliam rationem significat unum inferius cum dependentia ab alio inferiori entis, quia hoc nomen ens vel significat omnia inferiora entis ut in se sunt, & quia in se habent dependentiam significat illa cum tali dependentia, vel quia significat rationem communem entis quae participatur ab inferioribus habentibus inter se talem dependentiam: sed qualitas etiam significat omnes qualitates, & sic de omnibus predicatur, & qualitates habent veram dependentiam inter se: ergo significat illas cum tali dependentia, item significat etiam rationem communem qualitatis ex se participabilem ab inferioribus dicentibus dependentiam essentialiter: ergo vel ex vi utriusque significatur dependentia, & datur analogia in utroque, vel ex vi neutrius significatur, & in nullo illorum datur analogia quod est contra ipsos adversarios.

Alij respondent actum non dependere adaequate, & totaliter à potentia, quia etiam dependet ab anima, & ideo non dari analogiam inter illas.

75 Sed contra, quia qualitas vitalis non dependet etiam adaequare à substantia animae quia etiam dependet necessario, & à potentia vitali, & à Deo, & nihilominus ens ut sic est analogum, & ad verbum mentis, & ad animam rationalem, & ad substantiam corpoream: ergo hoc quod est dependere adaequate vel inadaequate non est ad rem.

Ultimo respondent adversarij succumbentes oneri, & dantes manus, asserunt enim qualitatem ut sic esse analogam ad potentiam, & ad actum vitalem.

76 Sed contra, & verget argumentum iam factum, nimirum quod licet actus vitalis, & habitus scientiae dependant à potentia vitali, illi, & ipsa potentia sunt species completae qualitatis ut sic, & qualitas est genus proprium respectu illarum, ut à Patre Suarez, in *praelectionibus*, asseritur, imo ab omnibus nullo dempro Philosopho: ergo qualitas ut sic non potest esse analogia respectu illarum, quia genus est univocum; item, quia ex hoc sequeretur actum voluntatis, & actum intellectus non convenire univoce in ratione actus vitalis, quod nullus usquam dixit, quia actus voluntatis dependet essentialiter ab actu intellectus, & quod magis est sequitur ipsos actus voluntatis inter se non convenire univoce, nec actus intellectus inter se, nam executio mediorum dependet ab intentione finis, & iudicium dependet à simplici apprehensione, conclusio dependet à praemissis, & voluntas dependet ab intellectu, & nihilominus in omnium sententia univoce conveniunt hi actus: quis enim credat maiorem univocationem reperiri inter hominem, & formicam, inter Angelum, & paleam seu folium arboris in ratione substantiae completae quam inter intellectum, & voluntatem, & inter duos actus eiusdem speciei, certe nullus: ergo datur univocatio inter illos actus etiam si dependant inter se: ergo dependentia non tollit univocationem.

Evidentius verget, quia forma materialis substantialis dependet essentialiter à materia prima: sed ratio substantiae incompletae non est analogia: sed univoca comparatione materiae primae, & formae materialis: ergo ratio dependentiae essen-

tialis non constituit analogiam, aut inter actus vitales aut inter accidentis, & substantiam. Maior est evidens praecipue in sententia Thomistarum, quia forma non potest existere adhuc divinitus sine materia. Probatur minor, si ratio substantiae incompletae esset analogia comparatione materiae, & formae principalis analogatum esset materia: sed implicat quod materia sit principalis analogatum: ergo ratio substantiae incompletae non est analogia comparatione materiae, & formae. Probatur maior, illud est principalis analogatum à quo dependet aliud essentialiter: sed materia dependet à forma: ergo materia est principalis analogatum. Probatur maior, ideo substantia est principalis analogatum comparatione accidentium, & Deus comparatione entis creati secundum adversarios, quia accidens dependet à substantia, & creatura à Deo: ergo illud est principalis analogatum à quo dependet aliud: sed forma materialis dependet à materia: ergo materia est principalis analogatum, sed hoc implicat: ergo &c. Probatur minor, principalis analogatum est perfectius minus principali: sed materia non est perfectior forma: ergo &c. maior est evidens, & patet in Deo respectu entis creati; & ratio est, quia analogia sunt illa quae dicunt diversitatem, & inaequalitatem maioris, & minoris perfectionis: ergo principalis analogatum debet esse perfectius minus principali: sed materia prima non est perfectior forma substantiali: ergo non potest esse principalis analogatum ac proinde nulla dabitur analogia inter materiam, & formam.

Confirmatur, si dependentia essentialis constitueret analogiam, ratio substantiae esset analogia respectu materiae primae, & totius compositi essentialis sive hominis sive leonis, &c. & materia prima esset principalis analogatum, & compositum minus principale: sed hoc est impossibile, & summum absurdum: ergo dependentia essentialis non constituit analogiam. Probatur maior, compositum dependet essentialiter à materia prima: sed quando aliqua ratio dependet ab alia essentialiter, ratio dependens est minus principale analogatum, & ratio à qua dependet est principalis analogatum, ut probatum est: ergo materia prima esset principalis analogatum comparatione compositi quod est falsissimum.

Dices inter materiam, & formam dari mutuam dependentiam, & ideo non dari analogiam inter illas.

78 Sed contra, quia si dependentia ut talis constituit intrinsecam, & formaliter analogiam, mutua dependentia non potest tollere illam, & si tollit, signum est non constituere intrinsecam, & formaliter illam, sicut quia relatio constituit formaliter, & intrinsece relatum mutua relatio non tollit hunc effectum formalem, & ratio à priori evidens est, quia ratio mutui est denominatio extrinseca in illa forma quae mutua dicitur, v. g. relatio paternitatis dicitur mutua non ab aliquo sibi intrinseco, sed quia in termino sibi extrinseco correspondet extrinseca alia relatio: sed denominatio extrinseca non potest tollere effectum intrinsecum: ergo dependentia mutua non tollit analogiam quae constituebatur à dependentia ut tali, sicut, v. g. inter hominem, & univocum substantialem ipsius hominis datur mutua dependentia, unio enim ut pote modus dependet essentialiter ab homine cuius est, unde nec per potentiam



tiam Dei absolutam potest esse sine homine, hō-  
mo etiam dependet essentialiter tanquam à con-  
stitutivo essentiali ab ipsa vnione, item natura  
Angeli in sententia aduersariorum dependet à  
subsistentia, vicissimque subsistentia dependet à  
natura Angeli, & non obstante hac mutua depen-  
dentia datur in sententia omnium aduersariorum  
analogia inter hominem, & vnionem; inter an-  
gelum, & subsistentiam ipsius in ratione sub-  
stantiali vt sic: ergo mutua dependentia; &c.  
nec potest dici quod forma materialis non de-  
pendeat essentialiter à materia quia eo modo de-  
pendet forma materialis à materia prima sicut  
accidens à substantia; nam sicut accidens educitur  
à substantia, ita etiam forma à materia; & sicut  
recipitur accidens in substantia, ita necessario vt  
naturaliter non possit esse sine illa, ita similiter  
forma materialis naturaliter necessario subiecta-  
tur in materia prima, vt naturaliter non possit  
esse sine illa, & sicut accidens dicit ordinem  
transcendentem ad subiectum, ita forma ma-  
terialis: sed propter istas rationes dicitur essen-  
tialis dependentia accidentis à substantia: ergo  
propter easdem debet dici essentialis dependen-  
tia formae materialis à materia; praeterea quia  
in tantum dependet forma materialis à materia,  
in quantum distinguitur essentialiter à forma  
spirituali rationali, itaque distinctum essentia-  
le animae rationalis à forma materiali est inde-  
pendentia ex parte animae rationalis, & distin-  
ctum formae materialis ab spirituali est depen-  
dentia à materia prima, sed omne distinctum  
essentiale est constitutum essentiale: ergo depen-  
dentia siue potentialis siue actualis formae  
materialis à materia est constitutum essentiale  
illius, sicut in accidenti: ergo est dependentia  
essentialis illi sicut in accidenti, & nihilominus  
non datur analogia inter formam materialem, &  
materiam primam: ergo similiter non dabitur  
analogia inter accidens, & substantiam.

Dices quod non datur analogia inter mate-  
riam, & formam, quia materia non potest esse sine  
omni forma, quae est maxima dependentia.

79 Sed contra: ergo etiam inter substantiam, &  
accidens non dabitur analogia; patet consequen-  
tia, sicut materia prima non potest esse naturali-  
ter sine omni forma, ita similiter substantia  
creata non potest esse naturaliter sine omni ac-  
cidenti, imo secundum probabilem aduersario-  
rum sententiam, nec diuinitus, sed ideo materia  
prima dependet à forma quia non potest esse si-  
ne omni forma: ergo etiam substantia creata de-  
pendet ab accidente: ergo substantia creata, &  
accidens non sunt analogae; patet vltima conse-  
quentia, secundum aduersarios talis dependentia  
inseparabilitatis ab omni forma tollit analo-  
giam, & constituit vnivocationem: sed inter sub-  
stantiam creatam, & accidens datur eiusmodi  
dependentia: ergo tollit analogiam, & constituit  
vnivocationem.

80 Efficacius vrgetur; quia inter animam ratio-  
nalem, & hominem datur analogia attributio-  
nis, & nihilominus anima rationalis non depen-  
det ab homine, quia potest esse separata ab om-  
ni materia prima vt de facto contingit, ac proin-  
de naturaliter inuicem manet, & homo ita de-  
pendet essentialiter ab anima rationali vt sit de  
essentia illius, ita necessario vt nec diuinitus pos-  
sit esse homo sine anima, in qua analogia princi-  
palis analogatum est homo; & minus princi-

pale est anima: ergo dependentia nullius mo-  
menti est ad cauendam analogiam, quia si alicu-  
ius momenti esset ad constituendam attributio-  
nis analogiam, potius homo deberet esse minus  
principale analogatum, & anima magis princi-  
pale, quia illud est magis principale quod est  
independens, vt videre est in analogia Dei respec-  
tu creaturarum: sed homo dependet essentialiter  
ab anima, & anima non dependet essentialiter  
à composito: ergo anima deberet esse princi-  
palis analogatum, sed ad hoc non attenditur de-  
pendentia, neque independentia: ergo neque at-  
tendenda est ad rationem analogiae.

Dices animam etiam dependere à composito in 81  
genere causae finalis, quia finis animae est homo.

Ergo ex hac tua solutione colligitur dari mu-  
tuam, & inaequalem dependentiam inter ani-  
mam, & hominem, sed per te vbi datur mutua  
dependentia non datur analogia, & ideo negabas  
illam inter materiam, & formam materialem: er-  
go non dabitur analogia inter hominem, & ani-  
mam rationalem. Deinde quia non est maior ra-  
tio, quare in tali analogia principalis sit com-  
positum; quam anima, formalissime ratione de-  
pendentiae; nam vbi est aequalis ratio formalis  
in effectu, nulla est inaequalitas in illo respectu  
alterius, qui habet aequalem rationem formalem  
cum ipso, v.g. si Petrus habet albedinem vt vnū,  
& Paulus habet etiam similem albedinem, non  
potest dici, quod Petrus excedat in ratione albi  
Paulum, sed homo; & anima rationalis per te  
habent dependentiam mutuam aequaliter; nam  
si homo dependet essentialiter ab anima tanquam  
à forma intrinseca, anima etiam dependet essen-  
tialiter ab homine tanquam à fine illius.

Dices non esse aequalem dependentiam respec- 82  
tu vtriusque; sed contra, quia haec solutio faret  
argumento: nam si datur excessus in dependentia  
est in anima respectu hominis, quia magis de-  
pendet homo ab anima, quam anima ab homi-  
ne, primo quia existentia hominis neque esse,  
neque intelligi potest sine anima, anima autem  
bene potest existere naturaliter sine homine: se-  
cundo dependet essentia hominis intrinsece, &  
formaliter, tum ab essentia animae, tum ab vnio-  
ne ipsius, & etiam dependet homo per ordinem  
transcendentem ab ipsa anima tanquam à ter-  
mino talis relationis, ratione cuius potest dici  
etiam dependere ab anima aliquomodo tanquam  
à fine; anima autem saltem dependet ab homine  
tanquam à causa finali; causa enim finalis in  
sententia aduersariorum est causa metaphorica,  
vnde impropria, & sic eius causalitas est etiam  
metaphorica, ratione cuius dependentia etiam  
impropria erit, & sic improprie dependebit anima  
ab homine, cum è contra homo tanquam à vera,  
propria, & essentiali intrinseca causa formali  
dependeat ab anima; ex quibus euidenter colligi-  
tur magis, & proprie dependere hominem ab  
anima, quam animam ab homine; ex quo se-  
quitur maximum absurdum, videlicet quod de-  
tur perfectior analogia animae ad hominem,  
quam hominis ad animam, sicut ex eo quod om-  
nis causa est prior suo effectu, colligitur, quod  
est perfectior prioritas, qua materia est prior,  
& imperfectior posterioritas effectus materiae,  
quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita  
se habet magis ad magis v.g. quia sicut album  
simpliciter disgregat visum, ita magis album  
magis disgregat visum, sed dependentia essentia-



lis simpliciter per vos constituit analogiam: ergo maior dependentia constituit maiorem analogiam, ac proinde maiorem imperfectionem ex parte dependentis, & maiorem perfectionem ex parte independentis, ex quo sequitur maximum absurdum, videlicet quod ex vi rationis formalis analogie attributionis, & dependentie, illud quod imperfectius est essentialiter secundum se sit principalius analogatum in analogia; unde erit principalius, & non principalius, & sic natura secum pugnat, quod non potest dici. Sequela sic probatur, quia anima rationalis secundum se est imperfectior homine, quia est incompleta, & pars hominis, & omnis pars per se est imperfectior toto, totum enim maius est sua parte, hoc est perfectius &c. nam totum continet perfectionem partis, & supra illam addit aliam, quae non est in parte, atqui homo magis dependet ab anima quam anima ab homine, & analogia sequitur dependentiam ita ut principalius analogatum sit minus dependens, & minus principale sit magis dependens, ergo in tali analogia attributionis anima, quae secundum se est imperfectior homine erit principalius analogatum: ergo ex positione dependentie ad analogiam colligitur evidenter contra ipsos adversarios maximum absurdum.

Vergetur clarius, nam potentia vitalis v.g. visiva dependet essentialiter à colore in genere obiecti, quae dependentia ex eo quod specificatio est, necessario essentialis erit; color autem non dependet à potentia visiva: ergo dabitur analogia inter hanc qualiteratem, & illam vitalem, ita ut analogatum principalius sit color, minus principale erit potentia visiva: sed potentia visiva uti qualitas vitalis, & operativa perfectior est essentialiter colore qui est qualitas non vitalis, nec operativa est, & idem dicendum est de intellectu respectu etiam coloris, & luci quae respicit essentialiter tanquam obiecta: ergo illud quod in genere qualitatis est perfectius erit minus principale analogatum in analogia qualitatis, quod est contra ipsos adversarios, nam illud quod essentialiter est perfectius altero in ipsa participatione perfectius est: ergo etiam in ipsa analogia quae fundatur in eadem ipsa participatione: sed si ponatur ratio analogie in dependentia, totus hic ordo invertitur ut patet ex supradictis: ergo dependentia impertinens est ad analogiam.

#### SUBSECTIO IV.

*Tertia ratio principalis ponitur.*

<sup>85</sup> Si dependentia esset causa formalis, & unica analogie attributionis; ubi non daretur dependentia nulla daretur analogia attributionis, sed secundum adversarios inter multas res datur analogia attributionis inter quas nulla datur dependentia; ergo dependentia non est unica, & formalis causa analogie attributionis. Maior est evidens; nam ideo colligimus animum rationalem non esse unicam causam formalem equi, quia etiam si non datur animus rationalis datur perfectus equus, & ratio illius est evidens, quia cum effectus dependeat, & constituatur essentialiter à sua unica, & adaequata causa formali, implicat quod detur sine tali causa, & sic implicat, quod detur homo sine anima, album sine albedine, &

dulce sine dulcore.

Probatur minor primo, inter subsistentiam <sup>86</sup> creatam, & divinas relationes datur analogia secundum adversarios: sed subsistentia creata non dependet à relationibus divinis: ergo iam datur analogia ubi non datur dependentia. Probatur maior: tota ratio dependendi creaturae à Deo, est aliquid absolutum in ipso Deo, omnipotentia videlicet, quae est communis toti Trinitati, atque ideo si per possibile, aut impossibile relationes divinae non essent, dum tamen daretur essentia divina, sine dubio creatura dependeret à Deo: ergo tota ratio dependentie quam habet creatura à Deo est ratione essentiae divinae: ergo creatura non dependet à divinis relationibus: ergo non datur analogia inter creaturam, & relationes divinas: ergo ratio subsistentiae ut sic vel entis ut sic abstracta à relationibus divinis, & subsistentia creata est univoca: ergo non implicat quod detur aliquid univocum Deo, & creaturis.

Secundo probatur eadem minor, inter accedens <sup>87</sup> spirituale ut sic, & substantiam corpoream ut sic, & inter rem, & modum secundum adversarios datur analogia: sed accedens spirituale nullo modo dependet à substantia corporea, & multi modi non dependet à rebus, ut figura non dependet ab Angelo, ergo iam datur analogia ubi non datur dependentia, & loquor de ente completo quod non transcendit ultimas differentias. Maior conceditur ab adversariis: minor est evidens, quia substantia corporea, v.g. lapis non est causa efficiens accidentis spiritualis, cum lapis nullo modo causet efficienter intellectum, & voluntatem Angeli, vel gratiam sanctificantem, neque est causa materialis, quia neque ducuntur ex lapide, neque recipiuntur in illo, nec formalis quia lapis non informat gratiam sanctificantem, nec est causa finalis, quia gratia non est propter lapidem neque est causa exemplaris, quia gratia non fit ad similitudinem lapidis, & eodem modo probatur de figura respectu Angeli, & quod caput est, idem argumentum fieri potest de aliquibus accidentibus immaterialibus comparatis cum substantia materiali, v.g. de visione beatifica comparata cum lapide: ergo nec accedens spirituale, nec figura ab Angelo dependet in aliquo genere causae, &c.

Dices quod intellectus Angeli dependet à lapide finaliter, quia si esset impossibilis lapis, esset etiam impossibilis actus intellectus Angeli quod cognoscitur lapis, & per consequens esset impossibilis intellectus Angelicus: ergo iam dependet à lapide; ergo bene potest esse analogia inter illos.

Sed contra primo, ergo etiam dabitur analogia inter intellectum Angelicum, & lucem, & etiam inter actum intellectus Angeli, & ipsam lucem: patet consequentia, inter intellectum Angelicum, & actum eius comparatione lucis datur eadem dependentia quae datur inter intellectum Angelicum, & eius actum comparatione lapidis, quia si esset impossibilis lux, esset impossibilis actus intellectus Angelici terminatus ad lucem, & per consequens ipse intellectus: sed dependentia actus intellectus Angelici respectu lapidis est sufficiens ad constituendam analogiam: ergo etiam erit sufficiens eadem dependentia inter actum intellectus, & lucem; ergo qualitas ut sic est analoga. Patet evidenter consequentia, qualitas ut sic continet sub se lucem, intellectum, &



# Quæst. IV. Vtrum Dependētia, &c. 131

& intellectum angelicum, sed lux, actus intellectus, & potentia ipsa intellectiva sunt analogæ; ergo, & qualitas ut sic, ut iam probatum manet, sed hoc est absurdum, & omnino oppositum respectu sententiæ contrariæ: ergo dependētia non est causa unica, & adæquata analogiæ.

90 Secundo contra evidenter, quia licet actus intellectus dependeat à lapide, nihilominus tamen habitus charitatis, gratia sanctificans, & habitus per se infusus nullo modo dependent à lapide: ergo sine ulla dependētia datur analogia, siquidem inter substantiam lapidis, & gratiam, quatenus accidens est, datur analogia in ratione entis; unde evidenter sequitur impertinentem esse dependētia ad analogiam, & evidentiùs dependētia nullo modo esse unicam, & adæquatam causam analogiæ.

91 Dices quod licet accidens spirituale secundum rationem accidentis spiritualis non dependeat à substantia corporea, quatenus substantia corporea est, nihilominus tamen ratio accidentis ut sic dependet à ratione substantiæ ut sic, atque ideo ens est analogum comparatum ad substantiam ut sic, & accidens ut sic, & per consequens debet esse analogum ad omnia accidentia particularia respectu omnis substantiæ particularis, quia quicquid convenit rationi superiori convenit omnibus inferioribus contentis sub illa: ergo si ratio entis est analogia comparatione substantiæ ut sic, & accidentis, ut sic necessario debet esse analogia respectu cuiuscumque accidentis comparati ad quancumque substantiam, & hæc dicitur dependētia mediata, scilicet mediantibus rationibus superioribus: quod explicatur exemplo entis rationis; ens enim est analogum respectu relationis rationis, & substantiæ realis, & nihilominus relatio rationis non dependet à substantia reali, quia non fit ad similitudinem illius, quia ad colligendam analogiam solum est faciēda comparatio inter rationes superiores, & non inter quasumque rationes inferiores.

92 Sed contra primo, quia accidens ut sic nec mediate nec immediate dependet à substantia ut sic: ergo falsa est solutio. Probatur antecedens; quotiescumque aliqua ratio superior abstrahitur ab inferioribus, quæ habent diversas rationes, illa ratio superior nullam continet rationem diversam inferiorum: sed accidens ut sic abstrahitur ab accidenti dependente à substantia creata, & independente ab illa: ergo accidens ut sic non potest dicere dependētia à substantia. Maiorem sæpe probavi. Probatur minor, accidens ut sic abstrahit ab actione creativa qua conservantur accidentia in Eucharistia, & ab alijs accidentibus scilicet qualitate, quantitate, &c. sed illa actio creativa non dependet à substantia creata, & cetera accidentia dependent à substantia creata: ergo accidens ut sic abstrahit ab accidentibus dependentibus à substantia creata, & accidentibus independentibus ab illa; ergo accidens ut sic non potest convenire dependētia à substantia ut sic creata: ergo ens non dicit analogiam respectu substantiæ ut sic creata, & accidentis ut sic.

93 Confirmatur, si accidenti ut sic conveniret dependētia essentialis respectu substantiæ ut sic cuiuscumque accidenti conveniret dependētia essentialis respectu cuiuscumque substantiæ; sed hoc implicat ut probatum est: ergo accidenti ut sic non convenit dependētia essentialis respectu substantiæ ut sic creata, & accidentis ut sic.

R. P. Alph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

substantiæ ut sic. Maior patet evidenter eadem ratione, qua adversarij asserunt cuiuscumque accidenti convenire analogiam respectu cuiuscumque substantiæ, quia accidenti ut sic comparatione substantiæ ut sic convenit analogia, & quicquid convenit rationi superiori convenit omnibus contentis sub illa, sed accidenti ut sic secundum adversarios convenit dependētia essentialis respectu substantiæ ut sic: ergo cuiuscumque accidenti respectu cuiuscumque substantiæ convenit dependētia essentialis: sed hoc est falsum, quia non convenit ut probatum est: ergo neque convenit analogia: ergo non omne accidens est analogum respectu omnis substantiæ.

Contra secundo, si hæc solutio subsisteret qualitas ut sic non esset genus ad quatuor species qualitatis: sed hoc est absurdum ut probatum est: ergo est falsa solutio. Probatur minor, quilibet modus comparatus cum qualibet re convenit analogice, sed quarta species qualitatis est modus scilicet forma, & figura, & reliquæ tres species sunt res: ergo conveniunt analogice in ratione qualitatis: ergo qualitas ut sic non est genus ad quatuor species qualitatis; ad illud de ente rationis respondeo comparatione entis realis solum esse analogum, quia ad eius similitudinem fit, comparatione autem reliquorum esse æquivocum propter rationem à nobis factam quæ id etiam convincit: ex quibus omnibus manifeste colligitur dependētia nullam analogiam causare, ut videre est in exemplis positis de qualitatibus materiae, & formæ.

Pertinacius respondent adversarij, ideo rationem qualitatis, & partis materialis substantiæ esse univocas respectu actus & potentie, formæ & materie cui ipsa inhæret, quia etsi actus, & forma physice dependant à suis causis, non tamen dependent dependētia, quæ exigitur ad inducendam inæqualitatem, & diversitatem sufficientem ad analogiam, si autem inquiras ab adversariis, quæ sit hæc dependētia sufficiens? respondent esse necessariam non solum physicam dependētia; sed logicam: explicito terminos; dependētia physica est qua vnum inferius efficitur, & causatur ab alio, & dependet ab illo secundum esse à parte rei: dependētia vero logica est in ordine ad nostros conceptus, & per talem ordinem explicatur, eaque est qua vnum non potest concipi in suo esse sine alio vel sine ordine ad illud; hoc supposito asserunt hi Authores rationem entis non esse univocam ad Deum, & ad creaturam, ad substantiam, & accidens, quia inter Deum, & creaturam non solum intercedit dependētia physica; sed etiam logica: probo vnam, & aliam partem, propriissimus conceptus creaturæ est conceptus entis ab alio: ergo cum concipis ens ab alio, necessario concipis illud à quo est nempe Deum; & quando concipis accidens, concipis peculiarem modum existendi inhærendo alteri tanquam proprio subiecto à quo dependet: ergo necessario concipis illud quod est subiectum; hoc est substantiam; ergo utraque dependētia physica, & logica intercedit inter hæc entis inferiora: ergo ratio entis communis eis erit analogia supposito quod eius inferiora non solum physicam; sed etiam logicam dependētia habeant.

Sed contra manifeste insurgo, & facile diluo hoc adversariorum fundamentum, quia vel dependētia logica quæ sufficit ad inducendam analogiam

R. 2 logiam



logiam in ratione entis debet necessario esse talis inter eius inferiora ut sit mutua, id est ut neutrum illorum possit concipi sine alio, vel debet esse non mutua, ita ut solum unus cognitio dependeat necessario ab alio non vero è contra, sed nulla ex ijs dependentijs sufficit ad analogiam: ergo falso affectis dicendo logicam hanc dependentiam in ordine ad conceptus fundare sufficientem diversitatem ad rationem analogam. Prima pars minoris sic probatur, actus, & potentia vitalis à qua ille provenit ita invicem pendet ut neutrum extremum ex illis possit cognosci sine essentiali respectu, & ordine ad aliud, v. g. actus vitalis sine ordine ad potentiam, quia essentialiter respicit illam ut causam sui efficientem, & ut subiectum in quo debet necessario inherere, item potentia non potest concipi sine ordine, & respectu ad actum vitalem eo quod potentia specificatur ab actibus, & per actus, unde impossibile est quod intellectus possit concipi sine ordine ad intellectiōnes, medijs quibus specificatur, & ordinatur ultimo ad obiectum; unde in definitione intellectus necessario includuntur intellectiōnes, & sic dicimus; intellectus est potentia vitalis perceptiva obiecti per intellectiōnem: sed nihilominus ratio qualitatis utriusque communis non analogice; sed univoce dicitur de actu, & potentia: ergo hæc mutua dependentia logica non fundavit diversitatem sufficientem ad inducendam ex se analogiam attributionis.

97 Item materia prima dicit ordinem essentialem ad formam, & forma substantialis dicit ordinem essentialem ad materiam primam, sed res non potest concipi sine essentiali ordine ad terminum, & sine termino talis ordinis, alias terminus, & ordo non essentiales, quia essentialiter est illud sine quo neque esse neque concipi potest res: ergo datur dependentia logica mutua inter materiam, & formam, & nihilominus non datur analogia sed potius univocatio: ergo dependentia illa logica mutua impertinens est ad analogiam.

98 Neque etiam sufficit dependentia logica non mutua; nam visio per quam videtur lux & color est vera qualitas vitalis, quæ dicit ordinem transcendentem ad lucem, & colorem quæ etiam qualitates sunt tanquam ad obiectum formale à quo specificatur essentialiter, ratione cuius nullo modo potest concipi sine luce, & colore: ergo logicæ dependet ab illis, sed hæc dependentia non est mutua, quia lux, & color non dicunt ordinem essentialem ad visionem, ac proinde concipiuntur sine visione, & per consequens dependentia illa logica est non mutua, id est solum ex parte visionis, & nihilominus non datur analogia inter visionem, lucem, & colorem: sed potius univocatio: ergo dependentia non mutua logica non inducit analogiam. Præterea talis dependentia datur inter actum voluntatis, & intellectus, ita ut volitio nequeat cognosci nisi per ordinem ad intellectiōnem, quia necessaria est essentialiter in vestra sententia intellectiō ad volitionem ex communi illo animastico proloquio; nihil volitum quin præcognitum, & actus intellectus non cognoscitur hac dependentia, sed omnino independens ab actu voluntatis percipitur, & nihilominus ratio qualitatis utriusque communis univoce de eis dicitur: ergo bene potest dari univocatio in aliqua ratione communi respectu suorum inferiorum, etiam si intercedat vera de-

pendentia logica sive mutua sit sive non mutua.

Deinde contra sic insurgo, quia si physica dependentia non constituit inæqualitatem necessariam ad analogiam, multo minus eam constituit dependentia in cognitione; quia nostra cognitio non facit obiectum inæquale: ergo id illi convenit independentem à nostra cognitione, præcipue quia actus vitalis ratione talis dependentiæ physici, prius contrahitur ad intellectiōnem quam ad amorem, sicut prius ad intellectum quam ad intellectiōnem, quia cognitio præcedit amorem sicut intellectiōnem: ergo.

Dices fortasse tunc solum sufficere dependentiam logicam ad inferendam analogiam, quando unum extremum ita dependet ab alio ut illud à quo dependet in eodem genere causæ sit omnino independens ab altero extremo, in alio enim genere causæ dependere non sufficit ad analogiam; unde quia actus, & potentia vitalis non dependent in eodem genere causæ, inde provenit quod ratio qualitatis communis illis univoce de utroque prædicetur, in eodem genere causæ non dependere hæc inferiora certum apparet, quia actus dependet à potentia tanquam à causa physica influente in suum esse, potentia vero non ita dependet ab actu sed ad illum ordinatur præcise tanquam ad terminum proprium suæ activitatis, & tanquam ad obiectum contentum sub sphaera propriæ efficientiæ, sic dependent creaturæ à Deo, & accidentia à substantijs, quibus inhaerent, Deus autem nullatenus dependet à creatura tanquam à causa efficiendi ipsius, nec substantia ab accidenti tanquam à substantante, & ideo non mirum quod ratio entis analogia sit respectu Dei, & creaturarum respectu substantiæ, & accidentis.

Sed contra est, quia plura dantur inferiora sub ratione univoca, in quibus non datur hæc dependentia in eodem genere causæ; sed in diverso: ergo hæc logica dependentia hoc particulari modo assignata ab adversarijs non erit sufficiens ad inferendam analogiam: patet antecedens forma substantialis materialis dependet à materia prima materialiter: id est tanquam substantante vel tanquam ab eo de cuius potentia educitur, & tamen materia prima à nullo dependet in hoc genere causæ, & nihilominus ratio partis materialis de his duabus dicitur univoce, & non analogice: ergo non sufficit hæc dependentia logica, etiam statuta eo modo quo adversarij volunt ad efficiendam rationem communem analogiam respectu suorum inferiorum. Ulterius visio determinata ad albedinem pendet tanquam ab obiecto ab ipsa albedine, & ab eo sumit suam specificationem ratione cuius distinguitur à visione cuiuscumque alterius coloris, & albedo non dependet obiective à visione cuius est obiectum, & nihilominus ratio qualitatis univoce convenit, & albedini, & visioni: ergo hæc dependentia logica non est fundamentum sufficiens ad analogiam: ergo ratio entis communis Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti non erit analogia ex eo quod eius inferiora radican talem dependentiam ab uno, ut illud nequeat dependere ab eis in genere illa causæ in quo alia inferiora ab eo dependent.



SVBSECTIO VLTIMA.

Quantum argumentum principale ponitur.

102. Vltimo probatur conclusio à destructione præcipui fundamenti adversariorum; ideo per vos non potest esse univocum ens ad substantiam; & accidens quia non darentur decem prædicamenta, sed etiam si ens esset analogum non darentur decem prædicamenta: ergo quantum est ex hoc capite bene potest ens esse univocum. Probatur minor, quantitas, & qualitas realis conveniunt univocè in ratione accidentis realis completi: ergo accidens ut sic intrinsecum reale completum est univocum; & genus respectu quantitatis, & qualitatis. Probatur consequentia, ubi non datur dependencia adæquata, & transcendentia datur ratio univoca, & generica: sed inter qualitatem, & quantitatem non datur dependencia adæquata, nec ratio communis accidentis realis est transcendens ad qualitatem, & quantitatem: ergo ratio accidentis realis est generica: maior est sententia omnium Doctorum, & per illam probant adversarij contra nos ens esse genus ad decem prædicamenta. Probatur minor, & imprimis inter qualitatem, & quantitatem non datur dependencia essentialis adæquata, quia vel qualitas immediate recipitur in substantia quod probabile est, vel si recipitur immediate in quantitate non est dependencia adæquata, & sufficiens ad constituendam analogiam: ergo qualitas non dependet adæquate à quantitate. Probatur antecedens, dependencia adæquata, & sufficiens ad constituendam analogiam secundum adversarios est illa quando causa à qua dependet aliud non dependet ab alia causa in eodem genere: sed quantitas dependet à substantia in eodem genere in quo qualitas dependet à quantitate: ergo non datur inter quantitatem, & qualitatem dependencia adæquata, & sufficiens ad constituendam analogiam: maior est sententia adversariorum, ut patet ex supra dictis: probatur minor, qualitas dependet à quantitate tanquam à subiecto: sed quantitas etiam dependet à substantia tanquam à subiecto: ergo in eodem genere dependet qualitas à quantitate in quo quantitas dependet à substantia.

103. Confirmatur, si accidens ut sic reale esset analogum respectu quantitatis, & qualitatis, quantitas esset principalius analogatum: sed hoc implicat: ergo accidens reale ut sic non est analogum respectu qualitatis, & quantitatis: maior est certissima, quia illud est principalius analogatum à quo dependet aliud ut probatum est, quod autem semper in analogia attributionis unum debeat esse principalius analogatum est certissimum apud omnes, quia in omni analogia attributionis unum ex analogatis est quod dicit attributionem ad aliud, quod ex vi formalis rationis analogiæ debet esse principalius analogatum, necessario cum ratione illius sit independens à reliquis analogatis, & reliqua dependant ab illo.

104. Probatur minor, illud genus est perfectius alio quod continet sub se perfectiores species, sed qualitas ut sic continet sub se perfectiores species quam quantitas ut sic: ergo qualitas ut sic est perfectius genus quam quantitas ut sic: maior est evidens, nam ideo genus vivens ut sic est per-

fectius quàm genus non vivens, quia illud continet sub se perfectiores species quam genus non vivens: minor etiam est evidens, nam sub genere qualitatis continentur qualitates non solum naturales ut lux, color, & calor quæ maxime excedunt omnem quantitatem: sed etiam spirituales, & supernaturales ut lumen gloriæ, visio beatifica, gratia sanctificans, intellectus, voluntas, & reliqua, quæ mille gradibus excedunt in perfectione omnes quantitates: ergo sub genere qualitatis continentur perfectiores species quam sub genere quantitatis; & ut magis urgeat argumentum, comparatur qualitas spiritualis cum quantitate, in quo non potest esse dubium quod qualitas spiritualis sit independens à quantitate, sed qualitas spiritualis, & quantitas conveniunt intrinsece in ratione accidentis realis sine dependencia unius ab alio: ergo non datur analogia ex vi dependentiæ.

Restat probandum quod illa ratio accidentis ut sic realis non sit transcendens, sed ante probationem adverte quod est dubium inter Doctores vtrum accidens sit ens completum: alij negant satis acute, & probabiliter, quia omne accidens ex sua intrinseca natura ordinatur ad componendum cum subiecto: sed omne illud quod ordinatur ad componendum non est ens completum, sed incompletum: ergo omne accidens est incompletum, alij autem probabiliter asserunt accidens esse ens completum, quia non componit unum ens per se sed per accidens, & nihil illi deest à suo conceptu essentiali; sed utriusque opinionis auctores conveniunt in hoc quod accidens potest esse genus, ut v. g. qualitas est genus ad omnes qualitates, & ratio est evidens, quia si accidentia non essent genera nullo modo constituerent prædicamenta: ergo accidentia licet sint completa vel incompleta possunt esse genera: ergo non transcendent ultimas differentias: patet evidenter consequentia, nulla ratio transcendens potest esse generica, quia genus ut inquit Philosophus est extra rationem differentiarum: sed accidentia possunt esse genera: ergo non transcendent ultimas differentias accidentium inferiorum. Tunc sic argumentor, qualitas ut sic, & quantitas ut sic conveniunt in ratione accidentis non transcendentis: ergo ab illis potest abstrahi accidens intrinsecum reale, & non transcendens. Probatur consequentia, ideo abstrahitur ratio qualitatis ut sic non transcendens, quia species qualitatis conveniunt in ratione qualitatis non transcendentis, & ratio est evidens, quia ab omni convenientia reali, & per se intrinseca est abstrahibilis aliqua ratio communis in eo in quo conveniunt inferiora intrinsece: sed quantitas & qualitas conveniunt intrinsece in ratione accidentis realis non transcendentis: ergo ab illis est abstrahibilis ratio communis accidentis realis non transcendentis.

Confirmatur, quia hoc quod est non transcendere qualitas ut sic sua inferiora non habet ex ratione qualitatis: ergo id habet ex alia ratione superiori; antecedens est evidens, quia si qualitas haberet non transcendere sua inferiora ex conceptu qualitatis, hoc quod est non transcendere non posset convenire alijs distinctis à qualitate, quia quidquid convenit tali cui ex suo proprio conceptu differentiali non potest convenire alijs distinctis ab ipso, v. g. quia homini ex suo conceptu specifico, & differentiali convenit rationalitas.

R 3. lras,



litas, & visibilitas non potest convenire alijs distinctis ab homine visibilitas hominis, sed non transcendere ultimas differentias convenit alijs distinctis à qualitate, quia convenit omnibus generibus quantitatis, relationis, &c. ergo non convenit qualitati ex vi suæ rationis superiori: sed in illa conveniunt univoce qualitas, & quantitas: ergo ratio non potest esse alia nisi ratio accidentis intrinsece ut sic realis: ergo illa ratio est generica ad qualitatem, & quantitatem. Patet consequentia, omnis ratio in qua conveniunt aliqua inferiora intrinsece sine dependentia, & transcendentia est ratio generica: sed quantitas, & qualitas conveniunt intrinsece in ratione accidentis ut sic realis sine dependentia, causante analogiam, ut patet ex dictis, & sine transcendentia: ergo accidens ut sic reale est genus ad quantitatem, & qualitatem.

107 Dices quod accidens ut sic non est genus ad quantitatem, & qualitatem; quia in definitione illius ponitur terminus, reale, vel forma realis, vel accidens reale, qui terminus est analogus comparatione formæ substantialis, & accidentalis, & comparatione entis realis, substantialis, & accidentalis, genus autem petit ex sua natura omnimodam univocationem, atque ideo accidens ut sic, licet sit univocum, & non transcendens ad qualitatem, & quantitatem non est genus.

108 Sed contra, terminus analogus non impedit rationem genericam quando non est analogus respectu inferiorum, de quibus prædicatur illa ratio communis, in cuius definitione ponitur talis terminus analogus: sed ratio formæ realis vel accidentis realis posita in definitione accidentis, ut sic abstracta à quantitate, & qualitate non est analogus, ut probatum est, & concedunt adversarij comparatione quantitatis, & qualitatis de quibus prædicatur illa ratio communis: ergo non impedit rationem genericam. Maior est evidens meo videri, nam in definitione substantiæ, quæ est genus ad omnes substantias ponitur terminus analogus in vestra sententia, definitur enim ens per se completum vel ens completum pertinens ad primum conceptum rei simpliciter: sed substantia, ut sic est genus, licet in illius definitione ponatur terminus analogus, quia non est talis respectu inferiorum de quibus prædicatur substantia, ut sic completa: ergo &c. Probatur maior, in definitione substantiæ ponitur terminus ens, & terminus per se, & completus, sed ens secundum adversarios est analogum ad substantiam, & accidens, Deum, & creaturas, & per se etiam est analogum ad substantiam completam, & incompletam, & completum etiam est analogum ad substantiam creatam, & incretam: ergo in definitione substantiæ quæ est genus ponuntur plures termini analogi: ergo vel substantia ut sic completa non est genus, vel terminus analogus positus in definitione non tollit rationem genericam, quando non est analogus respectu inferiorum, de quibus prædicatur illa ratio communis, sed terminus realis positus in definitione accidentis ut sic, non transcendentis non est analogus respectu quantitatis, & qualitatis: ergo non tollit rationem genericam respectu qualitatis, & quantitatis: ergo accidens, ut sic reale est genus ad quantitatem, & qualitatem, ergo possunt reduci ad unum prædicamentum.

Confirmatur hoc propter eandem rationem, 109 prædicamenta passionis, relationis, durationis, & ubi possunt reduci ad unum prædicamentum: ergo, &c. probatur antecedens, omnes illi sunt modi intrinseci, & non transcendentes, & sine aliqua analogia: ergo ab illis potest abstrahi ratio aliqua communis quæ sit generica. Probatur antecedens, & primum quod non sit analogia ibi, non datur transcendentia neque dependentia sufficiens ad constituendam analogiam, quia non est maior ratio, quare ubi comparatum ad relationem sit principalius analogatum, vel è contra, & sic de cæteris combinationibus: ergo non sunt analogia. Probatur antecedens, quia duratio potest modificari per relationem, & relatio per durationem, & etiam ubi per relationem, & durationem, & è contra, ubi per relationem, & durationem, quæ durat Petrus, & Paulus referuntur ad invicem per relationes, quia sunt similes in ratione durationis, & relatio quæ refertur Petrus Patet ad suum filium durat per suam durationem: ergo isti modi se possunt ad invicem modificare, & per consequens ad invicem dependere, ergo non est maior ratio quare unus modus sit principalius analogatum quam alius, ergo ratio modi accidentalis intrinseci præcisa ab omnibus illis modis est univoca, & non transcendens: ergo est ratio generica: ergo iam prædicamenta possunt reduci ad minorem numerum: ergo ratio præcipua quæ adversarij iunguntur, nullius est momenti.

Et si dicas quod modi illi non se modificant, è contra est, primo quia est voluntarie dictum; secundo non tollitur sed augetur difficultas: quia si non se modificant, ergo non dependent ad invicem, ergo non datur analogia inter illos. Patet consequentia, ibi non datur transcendentia, quod probari potest eodem modo quo id probavi de accidenti ut sic reali comparato ad quantitatem, & qualitatem, sed neque datur dependentia: ergo non datur analogia: ergo illa ratio est generica, & per consequens prædicamenta possunt reduci ad minorem numerum.

## SECTIO ULTIMA.

### Argumenta adversaria solvuntur.

Ad primum respondeo negando maiorem, & 111 minorem, & distinguo consequens, respicit inferiora cum dependentia ex parte sui nego, cum dependentia ex parte inferiorum concedo, & sic similiter erit inæqualitas; unde erit inæqualitas physica quæ non tollit univocationem.

Ad secundum distinguo maiorem, quando effectus non adæquat virtutem causæ, &c. si id habeat secundum rationem communem in qua conveniunt effectus, & causa concedo maiorem, si id habeat secundum rationem particularem in qua non conveniunt effectus, & causa nego maiorem, & bene responsum est ibi per instantias adductas, & ad impugnationem responderetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem illius distinguo antecedens, ens existens in creatura est dependens ex vi entis communis Deo, & creaturæ nego antecedens, ex vi talis entis, concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo producit à Deo in ratione entis communis Deo, & creaturæ nego consequentiam, & in ratione talis entis concedo consequentiam, & ad



ad probationem consequentiæ distinguo eodem modo minorem, & consequentiā, & ad id quod probatur quod ens existens in creatura dependet à Deo distinguo primum consequens: ergo ens existens in creatura ex vi, & ratione entis non dependet præcise, concedo consequentiā; negative, nego consequentiā, & nego secundam consequentiā, & ad illius probationem distinguo maiorem, quod non dependet negative concedo maiorem, quod non dependet præcise nego maiorem, & ut intelligatur solutio.

113 Advertendum est quod aliqua differentia alicuius rationis communis potest negari vel de ipsa ratione communi vel de alia differentia opposita, sed datur hoc discrimen quod ex negatione differentie de ratione communi non sequitur affirmatio alterius differentie oppositæ quod secus contingit quando differentia negatur de alia differentia sibi opposita; exemplum huius est manifestum in animali, & in omnibus alijs rationibus communibus, nam rationale potest negari de animali, est enim verum formaliter, & metaphysice loquendo quod animal non sit rationale si secundum se concipiatur animal, sed non sequitur, quod animal sit irrationale, vel potest rationale de bruto negari, & ex negatione illius colligitur manifeste quod sit irrationale, & ratio huius est evidens, quia tunc ex negatione vnius colligitur affirmatio alterius quando sunt opposita; cum tamen ratio communis non opponatur differentijs, quia potius est indifferens ad illas, non sequitur ex negatione vnius differentie affirmatio alterius, quando negatur de ratione communi quod secus contingit in differentijs inter se comparatis in ordine ad suum genus, quia sunt oppositæ, & sic bene valet argumentum est animal contractum, & non est rationale: ergo est irrationale, prima autem negatio respectu rationis communis est præcisa, quia tantum est negatio ex præcisione intellectus distinguentis formaliter rationem communem à differentiali propter distinctionem virtuales quæ à parte rei datur inter illas.

114 Secunda autem negatio dicitur negativa, quia fundatur in ipsa re opposita alteri realiter, quæ doctrina maxime advertenda est ad plures argumentationes solvendas, quibus videtur argumentum deduci ad duas contradictorias intendendo probare ex negatione differentie vnius de ratione communi affirmationem differentie oppositæ qui est falsissimus argumentandi modus.

115 Solum superest difficultas tacta in argumento, vtrum omnis causa creata producat aliquem effectum supponat omnes rationes communes in quibus conveniunt causa, & effectus, quod affirmant contrarij, sed ego falsissimum existimo velle exemplis, nam lux producit calorem in aqua, sed in aqua non supponitur ratio qualitatis, & accidentis in qua lux convenit cum calore, quia secundum adversarios tunc supponitur esse effectus, quando subiectum in quo producit talis effectus est formaliter tale, & habet in se essentialiter illud esse effectus v.g. ideo dicitur supponi esse entis, & substantiæ in productione formæ materialis, quia materia prima quæ est subiectum illius formæ essentialiter est ens, & substantia: sed aqua non est essentialiter accedens nec qualitas: ergo esse accidentis, & qualitatis non præsupponitur ad productionem caloris.

Præterea quando sol producit aurum ex materia prima non supponitur ratio substantiæ completa, quia materia prima non est substantia completa, & sic etiam est falsum quod quando ignis producitur ex terra supponatur in subiecto ratio elementi, quia subiectum ex quo producitur ignis tantum est materia prima, & non compositum terræ.

Advertendum est præterea adversarios non requirere quod rationes illæ, quæ producuntur in effectu non præsupponantur in causa efficienti, quia hoc est impossibile etiam in illorum principijs, alias Deus non produceret in creatura rationem entis quia supponitur in Deo, quod oppositum intendunt probare contrarij, scilicet quod Deus producat rationem entis in creatura.

Ad tertium distinguo maiorem, includit omnem perfectionem ex vi rationis entis præcise nego maiorem, ex vi differentie propriæ Dei concedo maiorem, & ad probationem illius distinguo maiorem, ratio entis quæ est in Deo est à se ex vi differentie concedo maiorem, ex vi rationis entis præcise nego maiorem, & sic Deus habet inæqualitatem respectu creaturæ ex vi differentie, & non ex vi rationis entis, quæ inæqualitas, ut probatum est, non causat analogiam, & hæc duo argumenta si aliquid probant, est quod non possit dari conceptus simpliciter præcisi entis, ut optime advertit eximius noster Doctor quod est contra suppositum questionis.

Ad confirmationem, respondeo cum Patre Hurtado disputat. 9. *logici*, sect. 4. esse bonam rationem metaphysice concionatori, non tamen bonam metaphysicam, quia tam proprie invenitur ratio entis in creatura sicut in Deo; distantia autem infinita non est in ratione entis, sed in ratione talis entis.

Ad quartum nego maiorem, ad illius probationem concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem huius distinguo antecedens, ratio entis descendit prius ad creatorem quam ad creaturam ex vi rationis entis præcise nego antecedens, ex vi differentiarum concedo antecedens, quæ diversitas, & inæqualitas cum sit ratione differentiarum non constituit analogiam ut probatum est, & optime advertunt Pater Vasquez, & Fonseca *supra citari*. Præterea licet concedamus quod ratio entis prius descendat ad Deum quam ad creaturas non sequitur esse rationem analogam, quia illa tantum est aut prioritas naturæ aut prioritas durationis, non autem prioritas perfectionis, in ipsa ratione superiori entis, quæ prioritates non constituunt analogiam, ut patet evidenter in potentia respectu actus vitalis, in materia prima respectu formæ substantialis, quia prius est in materia prima ratio entis, & substantiæ, quam in forma materiali, & nihilominus ratio entis non est analoga respectu illorum, ut probatum est, & concedunt adversarij. Ad confirmationem nego maiorem, ad illius probationem distinguo maiorem, habent illam rationem cum essentiali ordine ad inæqualem participationem ex vi rationis communis entis, nego maiorem, ex vi differentiarum, concedo maiorem, quod non causat analogiam, vtrumque constat ex dictis.

Ad quintum concedo maiorem, & nego minorem.



rem, & ad probationem illius concedo maiorem supposita præcisione simpliciter; nam ut optime advertit Hur. *disp. 9. metaphysica, sectio 2. §. 23.* divisio prædicamentorum non est lydio lapide examinanda, sed rudi Minerva, quia Doctores, qui illam intendunt probare, nunquam consequuntur intentum ratione aliqua à priori, sed solum nixi autoritate, & à posteriori quatenus intendunt solvere argumenta contraria, ut aperte fateatur eximius noster Doctor *disp. 39. metaphysica, sect. 2. num. 17.* ex hoc autem non negamus dari illagenera distincta entium in quæ constituunt prædicamenta: sed dicimus quod ex suppositione, quod præscindatur simpliciter ratio entis potest dari aliqua ratio generica sub qua collocentur omnia prædicamenta propter rationes, quas posuimus. Nec inde sequitur quod ratio entis sit generica respectu Dei, quia ratio entis respectu Dei est transcendens. Cum enim in Deo omnia prædicata sint completa, sit ut ratio entis etiam completa transcendat omnes differentias illius, & per consequens non sit genus respectu Dei, quia genus debet esse extra rationem differentiarum, ex quo sequitur quod neque ponatur Deus in prædicamento. Ad confirmationem negatur antecedens, quia ut optime advertit Hurtadus non omnes Physici dicunt dependentiam causare analogiam, cum ipsi, & alij multi contra dictum asserant.

- 122 Ad sextum distinguo maiorem, non daretur propria analogia, hoc est per formam intrinsecam in utroque extremo concedo maiorem, non daretur propria in quantum distinguitur ab analogia mere metaphorica nego maiorem, ut constat ex primo advertendo, & ideo Aristoteles quoties agit de analogia asserit pro exemplo sanum.
- 123 Ex his colliges, quod proportionalitas præcise considerata nullo modo causat analogiam, & ratio est manifesta quia si proportionalitas causaret analogiam, ubique daretur proportionalitas, daretur analogia: sed non datur analogia ubique datur proportionalitas præcise considerata: ergo proportionalitas præcise considerata non causat analogiam. Maior est evidens, quia si semel constitueretur quod proportionalitas habet virtutem ad causandam veram analogiam, non potest assignari ratio quare aliquando causet analogiam, & aliquando non, cum sit causa omnino necessaria, & non libera. Probatur minor, hæc proportionalitas invenitur in terminis univocis, quia sicut se habet homo ad suum animal, ita similiter se habet equus ad suum animal, sed equus, & homo in ratione animalis sunt univoci: ergo proportionalitas potest dari in terminis univocis, & per consequens sine analogia. Proportionalitas vero, quæ causat analogiam est solum illa, quæ est per formam intrinsecam in principali analogato, & extrinsecam in minus principali significatam per unum hominem, ut risus comparatione hominis, & prati, quia sicut se habet verus hominis risus ad ostendendam eius læticiam, ita floriditas prati ad ostendendum illius amœnitatem, & ideo dicitur risus.

QVÆSTIO V.

*Virum præscindatur per rationem simpliciter à differentiis ens.*

SECTIO I.

*Sententia adversaria proponitur.*

**P**ATER Gabriel Vasquez 1. parte *disput. 22. num. 6. & disputat. 114. num. 5. & 6.* P. Fonseca 2. tom. *metaphysica, cap. 2. lib. 4. quest. 2. sect. 4. de conceptu obiectivo entis.* Pater Herizze, 1. part. tract. 4. *disp. 43. cap. 2. num. 21.* Rubius & Smiglelius in *Logica tract. de analogia entis* & communiter Thomistæ firmissime asserunt nullo modo posse simpliciter præscindi rationem entis à differentiis inferiorum.

Probatur primo ex Aristotele 10. *metaphysica, tex. 8.* dicente ens significare decem prædicamenta, & alibi dicente ipsum ens dici de omnibus generibus seu prædicamentis, non tamen similiter; ex quibus colligitur in sententia Aristotelis ens neque esse unum simpliciter, nec præcise ab inferioribus.

Secundo probatur ratione, quia ratio transcendens non potest præscindi à suis inferioribus: sed ens est transcendens: ergo non potest præscindi à suis inferioribus. Probatur maior, illud præscinditur ab alio quod post præcisionem non remanet in illo à quo præscinditur, sicut ideo animal præscinditur à rationali, quia post præcisionem non remanet in rationali, sed conceptus transcendens semper remanet in differentiis: ergo non præscinditur ab illis: probatur minor quodmodocumque præscindatur ens à perfectitate perfectitas includit essentialiter ens, quia perfectitas essentialiter est ens, non enim est nihil ergo conceptus transcendens post præcisionem remanet in differentiis, ergo non præscinditur simpliciter.

Confirmatur primo, ens non potest præscindi ab ente, alias idem à se formaliter posset separari; sed modi sunt formaliter ens: ergo non potest ens præscindi ab illis.

Confirmatur secundo, implicat præscindi aliquid ab alio cum quo secundum rationem manet coniunctum: sed ens etiam secundum rationem manet coniunctum cum suis differentiis, quia illæ sunt essentialiter ens: ergo implicat, quod ab illis præscindatur simpliciter ens. Probatur maior, implicat aliquid separari ab alio eodem modo quo manet cum illo coniunctum, sed ens manet coniunctum per rationem cum differentiis perfectitatis, & inaleitatis: ergo implicat separari ab illis per rationem. Maior est evidens, ideo implicat animal separari realiter à suis differentiis, quia realiter est coniunctum cum illis: ergo implicat aliquid separari ab alio eo modo quo est cum illo coniunctum.

Confirmatur tertio, omnis conceptus importans rationem abstractam simpliciter est extra differentias à quibus abstrahitur: sed conceptus entis non est extra differentias à quibus abstrahitur: ergo non est simpliciter abstractus.

Tertio